



**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio I. De Essentia justitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](#)

TRACTATUS I.

De his, quæ magis speculativè nescenda
in præsenti.

*M*agister Sententiarum nihil tractat, in speciali, de Virtute Justitiae; plenè autem S.Thomas 2. 2. à q. 57. ad 79. Imò, & sequentibus, si includas partes potentiales Justitiae. Eum sequendo, sit.

DISPUTATIO I.

De Essentia Justitiae.

Quis est essentia, in quantum definibilis est, habet rationem compositi: quia importat genus tanquam partem materialem, & differentiam, tanquam partem formalem. Hinc, ut cognoscatur essentia, prænoscendum est illius Genus & Differentia; quod etiam in præsenti faciemus.

QUESTIO I.

Quid pro Genere dicit Justitia?

Indubie, Justitia pro Genere dicit, quod sit Virtus, &c. cùm non sit Virtus Intellectus: ne-
mo enim ex eo justus est proxime, quia scit bo-
nam esse Justitiam; vel, quid sit esse justum,
hinc debet esse Justitia Virtus moralis adeoq;
Virtus voluntatis. Quia vero Virtus Justitiae,
ex Communii sensu, requirit certitudinem, de-
bet esse Virtus moralis ad alterum; qua omnia,
licet indubitate sint, more tamen scholastico
illustrari possunt. Ex quibus etiam inferes, agi-
hic de Justitia, non prout dicit complexionem
eminium virtutum, de qua Christus Matth. 5.
Nec sumitur pro gratia, quæ est Justitia nostra,
eo quod nos justificet: sed sumitur pro una ex
Cardinalibus Virtutibus.

DIFFICULTAS I.

An Justitia sit Verè Virtus?

Sæpius in Theologia sit Virtutis mentio,
Shæc tamen à Nobis non est ejus expo-
sita universaliter Natura, alis difficultatibus,
tempus præcerperitibus. Nunc sit

PUNCTUM DIFFICULTATIS I.

Quid Virtus in Genere?

A Gemus hic, de Virtute generalissimè, hoc est, prout est, quid Commune ad virtutes, etiam physicas, quæ etiam herbis competunt, &c. ad virtutes Intellectuales, Morales &c. sic sumptæ Virtutis.

PRIMA DEFINITO est. *Quod, Virtus sit Principium motus vel actionis.* Ita docet S.Th. 1.2. q. 26. à 2. ad 1. & q. 41. à 1. ad 1. &c. sic perni-
citas, quæ est virtus avis, est principium celeris
motus.

Hæc definitio etiam habitibus peccaminosis
convenit: nam etiam hi sunt, principium actio-
nis, possuntque, licet impropriè, appellari Vir-
tus, sumpta pro vi. Sicut venenum, dicitur esse
virtus occidendi, vel vis. Restringendo autem
magis naturam Virtutis, addit ibid. S.Thomas
q. 55. a. 1. *Quod, Virtus sit perfectio potentie in ordine ad actum;* quæ definitio, videtur non esse u-
niversalis; quia non convenit ipsis potentias,
quæ etiam sunt virtus: & tamen dicinon poten-
tia perfici potencia, sed potius ipsa poten-
tia in suo genere perfecta. Si quis tamen, perly
Potentia, intelligeret perfectionem subjecti,
prædicta definitio etiam potentias quadraret,
quæ sunt perfectiones subjecti.

Pressius autem definiendo Virtutem ex ultra-
que hac phrasí S.Thomæ posset Virtus, ut sic,
definiri, quod sit *Principium perfectivum subje-
cti, in ordine ad actum.* Hanc definitionem pro-
bat ipsa inducio, quæ ostendet illam, quibus
cunque cogitabilibus virtutibus applicari posse,
solis, & semper.

R. P.
TH. MLOD
J. NOWSKI
Tom. 3. e. 4.
D. VI
G

Tractatus I.

Quod ipsum, insistendo phrasi S. Thomæ, rati discursu proponi potest. Virtus per Arist. est, *Species quædam habitus*; si est species habitus, debet esse, quid permanens, difficile mobile: quia verò hoc, quod est difficile mobile, potest convenire etiā iis, quæ virtuti, quæ tali, opponuntur, v. g. vitiis; sit, ut illa qualitas, debeat esse perfectio potentiae. Habitus enim mali, non sunt perfectio potentiae, sed defectus ejusdem. Desumitur hoc, ex Arist. qui Lib. 7. Ph. t. 14. tractans de habitibus, tractat etiam de virtute, &, insuper hæc habet. *Virtus enim perfectio quædam est, unumquodque enim tunc maximè perfectum est, cùm adeptum est propriam virtutem, & maximè secundum naturam, ut circulus, tunc maximè secundum naturam est, cum maximè circulus est.* *Vitium autem corruptio horum & remotio est.* Ubi docet Arist. Vitium non esse perfectionem potentiae. Quia verò perfectio uniuscujusque, spectatur in ordine ad suum finem, & ita, cum conjungimur nostro fini, qui est Deus, dicimus esse perfecti; perfectusque architectus est, qui finem suum, qui est ædificatio domus, secundum regulas artis, obtinet. Ideo etiam & Virtus, quæ est perfectio potentiae, tunc perfecta consideratur; quando consideratur in ordine ad suum finem. Porro, finis potentiae, per ordinem ad quem consideratur ejus perfectio, est actus; hinc, quòd perfectior est actus, ed supponitur major virtus: & sic: quia portatio centum, perfectior est, præ portatione decem, id est & virtus portativa centū, est major præ virtute portativa decem. Quod si perfectio virtutis, est per ordinem ad actum; sit, ut virtus sit perfectio potentiae in ordine ad actum. Quod explicandum, secundum phrases S. Thomæ, fuit.

INFER. Si Virtus est perfectio potentiae in ordine ad actum, etiam ipse actus, erit perfectio *ut quo, adeoq; rationem formalem virtutis, participare poterit.*

SECUNDA DEFINITIO ex Arist. verbis, est, quil. 1. Phys. t. 16. docet: *Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum.*

De hac Definitione, sic discurre potest. Dispositio omnis, ex hoc ipso, quia dispositio est, debet esse ad alterum, nempe ad id, quod disponit; &, si non esset ad alterum, hoc ipso dispositio non esset: non enim disponeret, sed adferret jam possessionem ejus, quod intenditur. Et, sicut Forma substantialis, qui non ordinatur ad aliud, dispositio non est; secūs calor, qui disponit ad formam substantialē: ita & omnes reliquæ dispositiones incomplectionem important, desideriumque ulterioris completionis. Hocque ibi expressit Arist. *Virtutes, inquit, & Vitium, sunt ad aliquid.* Quodsi, omnis dispositio, est ad aliud, etiam Virtus, quæ dispositio est, per Arist. erit ad aliud.

Quia verò ipsa ratio, disponens per sui conjunctionem meram cum subiecto, quod dispo-

nit, facit illud, vel bonum, vel malum: Debet enim tribuere subiecto, cui inest, effectum suum formalem; cumq; Virtute nemo malus redditur, sequitur, ut Virtus, sit dispositio perfecti, seu perfectiva subiecti, perfectum non inveniens, sed faciens. Propter quod etiam appellatur à S. Thom. hic q. 7. a. 2. in Corpore: *Dispositio quædam alicuius convenienter se habentis, secundum modum suæ naturæ;* quod scilicet accessus virtutis, faciat subiectum convenienter se habere. Et quia, nihil convenit alicui, quod ei contra naturam est, sit, ut faciat virtus convenienter se habens subiectum, idque secundum modum suæ naturæ.

Jam verò, illud, convenienter se habere subiectum secundum modum suæ naturæ, cum non sit in sola dispositione perfecti, ut dictum est: videndum est, ad quidnam disponat illud perfectum? & hoc Arist. dicit esse, Optimum: Dicit enim, quod, *Virtus sit dispositio perfecti ad optimum.*

De quo ipso, Optimo, queritur, quid sit? explicandoque, quid sit, istud Optimum, attinenda est.

TERTIA DEFINITIO Virtutis, ex S. Thoma; nempe quod *Virtus sit ultimum potentiae.* Quo principio utitur 1. 2. q. 55. a. 1. ad 1. & a. 3. in Corpore & aliis locis. Ad quod enodandum.

SUPPONO 1. Doctrinam Arist. L. 1. de Cœlo tex. 116. qui ponit, hæc verba: *Siigitur aliquis potest mouere per stadia 100. aut levare pondus, semper ad plurimum dicimus, quasi dicetur. Si detur aliquis habens tantum roboris, ut & conficeret 100. stadia, & simul possit portare talenta 100. conficiendo stadia nonnisi centum, non facit hoc, quod plurimum potest, sed ad plurimum sua potentiae, scil. extendi potest; quia plurimum tum primum facit, cum utrumq; facit. Subdit Arist. *quamvis & partes, qua infra sunt, possit, si & excessum, tanquam oporteat definiri potentiam ad finem excessus,* quasi dicat, qui potest minus, si possit adhuc plus, nondum per illud minus, potentia illius exceditur, neq; venit ad finem, seu, ultra quod excedatur, jam potentia. Concluditque tex. 117. *Nihil autem, inquit, nos turbet, determinetur enim secundum excessus finem, id quod propriè posse dicitur.* quasi dicat: posito quod v. g. non possit aliquis portare ducenta, possit tamen portare 100. non finitur excessus per 60. sed nonnisi 100. quod 100. terminat excessum, tanquam terminus *Aquo;* ita, ut incipiendo à post 100. jam sit excessus. Centumque est simul finis potentiae: quia quod est finis, complectitur omne illud, quod potest potentia, adeoque est ultimum potentiae.*

SUPPONO 2. ex S. Thom. Quodnam sit istud ultimum potentiae? quod ultimum, dicitur Virtus. Explicat id 1. 2. q. 55. a. 1. ad 1. dicitque quod, quando virtus dicitur esse ultimum po-

ten-

Disputatio I.

9

tentia; virtus sumatur pro eo, ad quod est virtus. Quod ipsum, per eundem dupliciter accipitur; pro ipso, scilicet objecto virtutis; ad objectum enim est virtus, & pro actu virtutis. Quare autem objectum & actus sunt ultimum potentiae? haec ratio assignari potest; quia sicut metajaculatoria, est ultimum jaciendi, metam enim intendit; ita & artingentia objecti, est ultimum potentiae: potentia enim intendit objectum. Et sicut, ultimum est, ultra quod nihil extenditur: sicut item finis est, quo posse possit, cessat motus; ita, & objectum est id, cuius habita artingentia perfecta, nihil ultra querit habitus, nec se ultra extendit. Actus etiam est ultimum potentiae; quia omne ultimum presupponit alia, sique illa non presupponeret, non esset ultimum, sed unum; & insuper, post se non supponit aliud: quia alias esset potius prius, vel intermedium, hocque ipso ultimum non esset. Porro, quando habetur unio ipsius virtutis animi cum potentia, non dum habet virtus ultimum sui; cum prius sit unire sese subiecto posterius illud disponere, sequitur, ut illud unius virtutis, non sit ultimum ejusdem: disponere etiam non est ultimum virtutis, ut dictum supra: quia autem ultra actum non potest potentia; actus, erit ultimum potentiae. Finge enim oculum non posse ulterius videre; sed omnes visiones eliciuisse, jam habet ultimum suum occupationis, estque perinde inutilis videndo, atque digitus auricularis.

SUPONO 3. Quod ultimum potentiae, & optimum potentiae, sint idem: si enim ultimum potentiae, non esset optimum, esset illi convenientius progressus anterior, nempe ad pervenientium ad optimum: Optimum etiam debet esse ultimum: quia, si non esset ultimum, esset anterior progressus in comparatione boni ultra superlativum. Quod insuper in hoc resolvitur: quia definitivae, Optimum est ultimum boni.

His suppositis

Texitur discursus. Virtus unionis sui ad subiectum, faciendo illud perfectum, disponit illud ulterius: nempe ad ultimum potentiae: h.e. complectens omne illud, quod potest subiectum cum illa potentia, ut dictum Suppos. 1. Hoc ipsum ultimum potentiae, licet sit, & objectum, est etiam & actus, ut dictum supposito secundo. Siactus est ultimum potentiae, & subiecti informatilla virtute, sequitur, ut actus sit etiam Optimum potentiae, ut dictum Supposito 3. Hoc autem explicandum fuit.

DEFINITIONE sumpta ex 7. Phys. non est contentus Vasq. l. 2. d. 7. 9. n. 4. & d. 8. 4. num. 16, Cum quo

DICES 1. Arist. illic loqui, de robore & pulchritudine, non de definitione virtutis: nomine; Optimus, intelligit ibidem Naturam.

RESPONDETUR. Loqui, illic Arist. de vir-

tute; pro exemplo autem non nisi, ponit robur: quia & hoc, est species virtutis, & ad aliquid. Verba textus: *Virtus autem omnis & virtutum eorum, qua ad aliquid sunt, quod exemplificans adit, similiter autem (en, particulam exemplificativam) pulchritudo & robur.* Negatur item, per Ly optimum intelligere illic Aristotelem, naturam. Vel intelligit naturam eo modo, quo illam accipit S. Thom. definiendo virtutem per, convenienter se habere secundum naturam.

DICES 2. Unius una est definitio: hic autem tres definitiones posita.

RESPONDETUR. Esse tres hinc definitio-nes diversas, quoad phrasim, non autem quoad formalitates explicativas: Omnes enim in hoc conveniunt, quod virtus sit principium perfe-ctionis subiecti, in ordine ad agendum.

DICES 3. Dantur virtutes potentiae seu materiae, cui non competit habere actum. Ergo per ordinem adactum, non definienda virtus. Rursus, illa definitio videtur competere natura, adeoque, non soli virtuti.

RESPONDETUR. Materiae non competere habere actum, qui sit motus efficientis, sed competit illi habere actum, qui sit exercitium potentiae. Hic autem, Ly, actus, sumitur pro aliquo communii horum membrorum. Natura etiam non potest dici perfectio subiecti ipsiusmet presuppositiva, cum sit potius ipsum subiectum. Jam autem virtus, presupponit subiectum.

Talis ergo erit Categoria virtutis. Virtus, ut sic, sic sumpta, in quantum coincidit, cum vis, vel facultate, & sic trahi potest ad virtutem, abusivè & antiphasticè: licet enim omnis virtus sit vis; non tamen omnis vis, sine abusu & anti-phrasi, dici potest virtus; consequenter, sumetur tunc virtus, ita latè ad abusivas illas locutiones, sicut sumitur ens commune ad entia, & non entia, seu negationes. Postea sequitur, virtus pressè sumpta, supra definita, quæ, in quæ membra dividatur, ostendit.

Punctum Difficultatis 2.

Quæ Divisione Virtutis ut sic?

DIVIDITUR virtus, in virtutem materiae, & in virtutem formæ. Prior illa, est virtus, per S. Thom. ad esse, posterior, ad agere. Ratio hujus divisionis ex S. Th. 1. 2. q. 55. a. 2. in corpore ex habitibus. Virtus importat quandam perfectionem potentiae: & cum duplex sit potentia, potentia ad esse, tenebit se ex parte materia, quæ est ens in potentia: potentia autem agere, se tenet ex parte formæ, quæ est principium agendi, eo, quod unumquodque agat, in quantum est in actu. Nominae virtutis materiae, pot-

est

R. P.
TH. MLOD
JANOWSKI
Tom. 3. c. 4.
D. VI
6

Tractatus I.

est venire emanativitas quantitatis, & aliarum perfectionum.

Virtutes Formæ, possunt dividi in virtutes Physicas: & in virtutes intentionales. Prioræ illæ, sunt perfectiones formæ, in ordine ad actum Physicum. Posterioræ sunt perfectio[n]es, in ordine ad actus Intellectus, & Voluntatis.

Hinc Virtutes Intentionales dividuntur in Intellectuales & Morales; illæ perficiunt Intellectum, hæ voluntatem. Virtutes intellectuales, præter divisionem in Naturales & Supernaturales, dividuntur in Speculativas, & Practicas. Speculativæ sunt, Intellectus, Sapientia, Scientia. Practicæ autem sunt, Prudentia & Ars, quamvis etiam Prudentia soleat numerari, inter virtutes voluntatis reductivæ & finaliter, seu, ut loquitur S. Thom. ibid. q. 58. a. 3. ad 1. Licet prudentia secundum essentiam suam sit intellectualis virtus: secundum tamen materiam, convenit cum moralibus virtutibus: est enim rectaratio agibilium.

RATIO. Divisionis harum virtutum intellectualium, deducitur ex S. Thom. 1. 2. q. 56. a. 2. in (...) Cùm, ut sic, virtus, sit perfectio potentiae in ordine ad actum, etiam virtus intellectus illud erit, quod est perfectio intellectivæ, in ordine ad actum. Quia vero intellectus est, qui versatur circa verum; hinc, quod erit perfectio intellectivæ in ordine ad verandum circa verum, erit perfectio intellectivæ in ordine ad actum illius. Verum autem ipsum, dupliciter considerari potest, in quantum est per se ipsum notum, & in quantum notum, per aliud. Virtus versans circa verum, per se ipsum notum, est intellectus, seu habitus primorum principiorum. Vel ob hanc proportionem: quia sicut omnes actus intellectus, pendent elicitive ab intellectu; ita omnes Conclusiones à primis principiis, tanquam motivis illuminativis, & unde fit deductio. Sicutem, sit Verum notum per aliud, notificatio illa erit notificatio per causam, h. e. per principium influens in illam notitiam motivè, quod ipsum esse notum per aliud, tanquam, per causam, dupliciter adhuc fieri potest, vel, per causam altissimam, & hoc erit Sapientia; vel, per causam, quæ sit quidem ultima, sed non nisi in aliquo genere, & hoc erit, Scientia. Quia autem intellectus, non tantum sicut in speculazione veri, sed etiam se extendit ad proxim, indigebit completere se perfectione ad actus etiam praticos. Cumque ad proxim descendatur, vel faciendo, vel agendo, de quorum distinctione alibi, ad faciendum, dirigit quidem ars, quæ definitivè per S. Th. 1. 2. q. 57. a. 3. est Ratio recta aliorum operum faciendorum: & Prudentia insuper erit necessaria, quæ definitivè est, recta ratio agibilium.

Quod attinet ad Virtutes voluntatis perfectivas voluntatis, in ordine ad actum moralem: eas alia phrasí describit Arist. 2. Eth. cap. 2. Vir-

tus est habitus electivus in mediocritate, quantum ad nos, consitens. Et, hinc oritur divisio virtutis, spectantis medium rei, & medium rationis, de quo aliás.

Sed jam, sub finem est necesse, totius quaternarii numeri virtutum moralium, rationem reddere. Quia habet S. Thom. 1. 2. q. 61. a. 2. in Corpore: quam placet ipsi terminis S. Thom. ponere: Numerus aliquorum accipi potest, aut secundum principia formalia, aut secundum subjecta, & utroq; modo inveniuntur quatuor virtutes Cardinales. Principium enim formale virtutis, de qua nunc loquimur, est rationis bonum, quod quidem dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit, & sic, erit una virtus principalis, quæ dicitur, Prudentia. Alio modo, secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo, & hoc, vel circa operationes; & sic est Iustitia, vel circa passiones. & sic necesse est esse duas virtutes: ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones considerata repugnancia ipsarum ad rationem, quæ quidem potest esse dupliciter. Uno modo, secundum quod passio impellit ad aliquid contrarium rationis, & sic est necesse, quod passio reprimitur, & ab hoc denominatur, Temperantia. Alio modo, secundum quod passio retrahit ab eo, quod ratio dicit: sicut timor periculorum vel laborum, & sic necesse est, quod homo firmetur in eo quod est rationis, ne recedat, & ab hoc denominatur Fortitudo, & similiter secundum subjecta idem numerus inventur. Quadruplex enim invenitur subjectum hujus virtutis, de qua nunc loquimur, scilicet, rationale per essentiam, quod prudenter perficit, & rationale per participationem, quod dividitur in tria; id est, in voluntatem, quæ est subjectum Iustitiae; & in concupiscentiam, quæ est subjectum Temperantiae, & in irascibilem, quæ est subjectum Fortitudinis.

Præter autem has Divisiones Virtutis, sunt aliæ, sed minus necessariae: in virtutem veram, & virtutem fictam. Jam sit

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur, & probatur Conclusio.
D ICENDUM est 1. Iustitiam esse Virtutem. PROBATUR 1. Aut. Arist. qui s. Eth. c. i. sic ait: *Arque hoc quidem Iustitia virtus perfecta est, non absoluто tamen, sed ad alterum.* Quo termino, non negat Iustitiam esse virtutem, simpliciter: sed dicit, esse virtutem, quæ non sicut in solo ordine ad subjectum suum, ejusque dispositione bona, sed respicit alium. Unde inferius subdit: *Ac perfecta quidem maximè est: quia perfecta est virtutis usus perfecta autem: quia, qui eam habet non solum secum, sed cum altero etiam, virtute, uti potest.* Idem docet S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 4.

PROBATUR 2. Ratione S. Thom. Quod facit humanas operationes bonas & rectas, est Virtus: ut colligere est ex definitione Virtutis; sed Iustitia facit humanas operationes bonas & rectas.

Disputatio I.

II

rectas. Quod ipsum probatur, tam quoad Majorem quam, quoad Minorem. Quod reddit actum attingentem regulam rationis, secundum quam actus humani rectificantur; est virtus. Sed Justitia est talis: dictat enim ratio suum cuique tribuendum &c. similia, quæ omnia spectant ad Justitiam.

PROBATUR 3. Vera est hæc universalis: Omnis perfectio subjecti in ordine ad actum, est virtus: est enim definitio, quæ convenit omni. Ergo vera & hæc, particularis. Aliqua perfectio subjecti, in ordine ad actum, est virtus. Sed Justitia, est aliqua perfectio subjecti in ordine ad actum. Ergo est virtus. Subsumpt. Antec. probatur Perfectio subjecti, in ordine ad actum, qui est ad alterum, reddit unicuique quod suum est. Subsum. Sed Justitia est redditiva unicuique quod suum est. Ergo Justitia est perfectio subjecti in ordine ad actum, qui est ad alterum. Prima propositio probatur. Si illa non esset vera, deberet ex regulis de Contradictoriis. Contradicтори illius esse vera, nempe, perfectio subjecti in ordine ad actum, qui est ad alterum, non reddit unicuique quod suum est: hoc autem dici non potest quia alias furari esset bonum. Et sicut conjunctio contradictiorum in intellectu, est quid absoluissimum; ita, & conjunctio corundem in moralibus, est mala, secundum proportionem cum intellectualibus. Si autem furtum esset bonum, esset talis conjunctio: nam habere aliquis alienum, ut proprium, cum non sit proprium. Minor illa principalis, probatur, ipsa suppositione Questionis: de taliter enim sumpta justitia loquimur, quæ sit redditiva unicuique quod suum est.

OBJICITUR 1. Nullus est virtuosus per necessitatem. Omnis Justus, est virtuosus per necessitatem. Ergo nullus Justus est virtuosus. Ergo, neque justitia faciens justum, erit virtus. Minor probatur: quia alienum v.g. reddere est necesse, punire item malos, est necesse, &c. similia.

RESPONDETUR. Necesitatem coactivam, quæ excludit libentiam agendi, & in ordine ad meritum, libertatem destruere rationem virtutis, sed non necessitatem quam dicit hoc principium ad hos suos actus. Explicatur distinctio. Non omnis necessitas destruit rationem virtutis. Nam, cum aliquis exercet actum virtutis, necesse est, ut illum exerceat ex suppositione, & tamen tunc, vel maximè virtuosus est; debetq; omnino dari aliqua virtus, quæ tamen necessitatatur ad suos actus, v.g. liberalitas ad faciendas moderatas distributiones gratuitò de proprio, & tamen, ut supponitur, hoc virtutis est. Quia autem necessitas, quæ habetur in virtute justitiae, non adfert destructionem potentiarum proximate ad utrumlibet non adfert coactionem &c. idèo hæc necessitas, nec destruet rationem Virtutis,

OBJICITUR 2. Quod non compatitur secum alias virtutes, non est virtus. Justitia non compatitur secum alias virtutes: quia restitutio bonorum, non compatitur secum virtutem paupertatis: nam vult esse habentem unde redat, &c. similia.

RESPONSUM est ad similem objectionem in materia de Penitentia virtute. Quod omnes virtutes compatiantur se, ratione sui; licet non compatiantur se omnes ratione extremonum: h.e. cum utrumque extremon actione honesta exerceri potest. Unde virtus justitiae & paupertatis, compatuntur se ratione sui, sed non compatuntur se ratione extremonum: nam hoc, quod est habere, & ex habito dare, est extremon, ad quod attendit justitia. Jam autem extremon ad quod attendit paupertas, est non habere (supple proprium) nec ex habito dare. An autem Religiosus tucatur ad restitutionem de acceptis in seculo? de hoc, in materia morali.

OBJICITUR 3. Virtus non potest supponere peccatum: debet enim esse bona, si bona, ex integra causa, si ex integra causa, non debet supponere malum. Jam autem Justitia saltet restitutiva, supponit peccatum.

RESPONDETUR. Quod virtus supponere poslit peccatum, tanquam abolendum, & destruendum: licet, non supponat peccatum tanquam aliquid à se intentum, sed de his fusius in materia de penit.

DICENDUM 2. Justitiam esse virtutem moralem.

PROBATUR 1. Virtus, quæ ponit actiones voluntatis honestas, ut notum est, ex definitione virtutis moralis, est, virtus moralis. Sed Justitia ponit actiones voluntatis honestas: quia ponit actionem voluntatis de servando Jure indemni aliis, ponendaque æqualitate, &c. nemo enim sola cognitione debiti reddendi, fit justus. Ergo.

CONFIRMATUR insuper. Virtus respiciens bonum, est virtus voluntatis. Unde etiam virtutes respicientes verum, dicuntur esse virtutes intellectus. Quod utrumque in hoc fundatur. Quia virtutes, sunt perfectio potentiarum: sed, non essent perfectio potentiarum, si virtutes respicientes bonum, non essent virtutes voluntatis, & respicientes verum, non essent virtutes intellectus.

Quod ipsum probatur. Illud non potest esse virtus, & perfectio alicujus potentiarum, quod illam non juvat habendo se circa suum objectum. Et, sicut non juvatur oculus speciebus audibiliibus, vel sono: quia hæc non juvant oculum ad habendum se rectè circa suum objectum, ita nec virtus juvaret potentiam, nec esset ejus perfectio; nisi participaret de objecto illius potentiarum. Sed Justitia respicit bonum. Quod ipsum probatur. Quia speciem boni respicere, est respicere bonum. Quod ipsum probatur. Quia ex una

R. P.
T. H. M. L. O. D.
ia. Nowicki
Tome 3. e. 4.
D. VI
6

Tractatus I.

ex una parte virtus potentiae, non debet habere potentiae rationali aequale objectum. Hinc, non nisi scientia, ut sic, vel potius aggregatum omnium scientiarum, & notitiarum respicit intelligibile, vel verum, ut sic, quod respicit potentia intellectiva, sed particulares scientiae, & speciales notitiae respiciunt certum verum. Quod si virtus potentiae, non respicit sub eadem universalitate objectum, sub qua respicit potentia, etiam virtus justitiae non debet respicere bonum, sub ea universalitate, sub qua respicit ipsa voluntas: sed sufficit, quod respiciat speciem boni. Ex alia parte, quod, respicere speciem boni, sit respicere bonum, inde probatur: quia de illa specie boni, vera est prædicatio, quod sit bonum; aliás non esset species boni. Ergo respicere speciem boni, est respicere bonum. Sed justitia respicit speciem boni: quod probatur: quia respicit, ut infra probabitur, honestatem & qualitatem ad jus alienum. Ergo respicit speciem boni, est etiam honestum. Si autem respicit justitia bonum, & est virtus voluntatis, erit virtus moralis; hæc enim hic pro eodem sumuntur.

PROBATOR 2. Virtutes, necessariae sunt ad perficiendas potentias animæ. Unde illud Ethicorum, de creaturis dictum: *Nemo natura sua habet virtutes.* Experientiaque docet, virtutes agendo acquiri; deberemusque omnes esse aequales virtute, si illas cum natura habemus. Neque enim defectus virtutum, posset rejici in dispositionem & organorum ineptitudinem: experimur enim similes complexione, dissimiles virtute: & cædem complexionem olim bonam, ita depravari, ut deterriam. Sed si justitia non esset virtus voluntatis, non perficerentur potentiae animæ, quod ipsum probatur: Ponamus concupiscibilem & irascibilem, esse distinctos realiter appetitus (nam indistinctio non officit, ne multiplicentur habitus intellectus, utpote potentiae indistinctæ ab anima) tunc voluntas ipsa rationalis non haberet suam perfectionem, nisi ponatur esse illius virtus justitia. Assumptum probatur: quia actus hic, qui dicit, *volo reddere alienum*, non est actus irascibilis potentiae, quia hæc extenditur ad circumstantiam mali amovendi: Neq; enim actus illius principium est potentia concupiscibilis: quia hæc ordinatur ad bonum delectabile acquirendum, quale non est objectum illius reditum, per se loquendo. Ergo ille actus spectat ad voluntatem rationalem, secundum se. Ergo justitia debet esse virtus voluntatis, quæ talis, utpote perfectio ita dictans voluntatis.

PROBATOR 3. citata Aut. S. Th. I. 2. q. 69. a. 2. & Arist. s. Eth. c. 2. *Iustitia, ait, est quæ justus dicitur justi, operator ex electione.* Certe autem electio voluntatis est.

OBJICITUR 1. Nemo potest esse justus per actum voluntatis, nisi prævio dictamine de honestate & qualitatibus. Ergo justitia complectetur in se perfectionem illam dictandi, adeoque erit virtus, quæ intellectus, quæ voluntatis.

RESPONDETUR. Imprimis, Argumentum multum probare: probat enim, nullam esse virtutem, quæ sit virtus, non nisi voluntatis, cum unaquaque requirat præcognitum.

Direcèt autem. Concessio Anteced. Dist. Cons. Ergo justitia complectetur in se vim illam dictandi, tanquam quid necessario prærequisitum, applicansque objectum voluntati. Concedo Conseq. complectitur in se vim illam tanquam rationem suam, saltem partialiter formalem. Nego Conseq. Illa enim ratio saltem partialiter formalis, est alicujus virtutis, quæ sola habitâ, jam partialiter habetur virtus. Illo autem dictamine posito, nondum habetur partialiter ratio formalis justitiae: Hæc enim non potest esse, quid commune in iusto: cum tamen illa vis dictandi, etiam in iusto, quæ tali, reperitur: si enim non haberet dictamen de honestate justitiae, per actum humanum, non esset iusto.

OBJICITUR 2. ex Buridano, apud Valent. disp. 5. q. 2. §. 4. Passiones appetitū sensitivi impediunt, quominus exerceatur opus justitiae, ut immoderata cupiditas pecuniarum, ira erga creditorem. Ergo, ut supereret omnes difficultates, ponenda erit justitia, etiam in appetitu sensitivo.

RESPONDETUR Valent. Quod, ad virtutem pertineat quidem, superare difficultates ortas ratione materiæ, huic virtuti debite, sed non ratione materiæ aliis virtutibus debitæ; aliás, si ad unamquamque virtutem spectabit superare quascunque difficultates ratione materiæ, non dabatur jam locus aliis virtutibus, nec jam dabatur virtus specialiter opponibilis avaritiae, quæ pecunias appetit, &c. similia.

RESPONDETUR 2. Dupliciter potest considerari, quod ponatur virtus justitiae in potentia sensitiva. Primo, per modum occasionis imperandij justitiam. Et taliter poni potest, etiam in appetitu sensitivo: Nam & passio sensitiva potest dare occasionem, ut imperetur formalis actus justitiae vel in justitiae. Secundo, quoad ipsum formale exercitum v. g. justitiae; sit in ipsa & ab ipsa potentia sensitiva: & sic, non potest poni justitia in potentia sensitiva: quia actus justitiae formalis, respicit objectum formale justitiae; objectum autem formale justitiae, excedit potentiam sensitivam: illa enim respicit coloratum, odorabile, tangibile, &c. Justitia autem & honestas illius, nihil horum est. Quod si objectum formale justitiae, potentia sensitiva attingere non potest, neque illius capax erit.

DIFFI-

Disputatio I.

13

DIFFICULTAS II.

An iustitia sit virtus ad alterum?

DICENDUM est, iustitiam esse virtutem ad alterum. Est sententia communis apud Tamer. d. 4. q. 2. n. 4. Lugo d. 1. n. 19. Dicast. d. 1. dub. 1.

PROBATUR 1. Auct. Arist. qui 5. Eth. c. 1. facit: Ac perfecta quidem maxime est; (supple justitia) quia perfecta virtutis est auctor; perfecta autem, quia qui eam habet, non solum secum, sed etiam cum aliis, virtute uti potest. Et inferius: Ob id quoq; ipsum, iustitia sola ex omnibus virtutibus esse dicendum bonum videatur. Accedit S. Th. q. 58. a. 2.

PROBATUR 2. Ratione S. Thom. cit. Virtus, cuius objectum est ad alterum, & ipsa est ad alterum: Objectum enim ipsum formale, ex eo quod formale sit, specificat & format virtutem, ut Inductio ostendit. Justitia autem objectum formale, est ad alterum, quod probatur: quia formale justitiae, est æqualitas, hæc autem est ad alterum: Nihil enim est sibi aequalis, sed alteri, inquit S. Thom. Et certè, si æqualitas non esset ad alterum, relatio non esset ad aliud: æqualitas enim, est etiam quædam species relationis.

PROBATUR 3. Falsa est hæc universalis. Nulla virtus est ad alterum. Ergo, vera hæc contradictoria. Aliqua virtus est ad alterum. Sed hæc non est alia, nisi iustitia. Ergo. Falsitas universalis negativæ per hoc probatur; quia falsa est hæc universalis. Nullum vitium est ad alterum, alias occidere alium, non esset vitium; voluntasq; illa, utpote specificata ad alterum, in volente, non esset mala: quia malitia, quæ debet esse ex ad alterum, nulla est, sed non nisi occidere seipsum, malum foret. Ergo & illa alia falsa est. Nulla virtus est ad alterum: alias daretur vitium, cui nulla virtus opponere se posset, hocque ipso, illud vitium non esset vitium: quia necessarium, utpote, cui nulla virtus sit opponibili: sicut enim vitio gulæ, non opponitur liberalitas, nec fortitudo: quia malitia gulæ non est opposita proportionate bonitas libertatis, & fortitudinis; ita nec vitio ad alterum, opponetur quidquam; si non ponatur bonitas ad alterum, opposita proportionate malitia ad alterum.

Rufus. Si vera est illa universalis; Nulla virtus est ad alterum, etiam vera hæc deberet esse; Nulla operatio bona, est ad alterum: consequenter, nemo alterib[us] vult, donat, accipit, &c. Seq. probatur: quia daretur, actio sine principio.

Confir. Operatio aliqua ad alterum, vel potest fieri bene vel male, vel non potest: si non potest. Contra erit. Si enim id habent aliquæ operationes, cur non & illa ad alterum? essetq; vel essentialiter bona, si nunquam posset fieri mala, adeoq; vel maximè virtuosa: consequenter dabitur virtus vel exinde ad alterum: quia maxima perfectio, divinæq; similis est, non posse

esse malum. Vel certè esset operatio talis, quæ non posset alia boni, nisi illa essentialiter mala; hocq; ipso non mala, ad eum modum, quo si circa objectum bonum, quod est Deus, non posset fieri essentialiter, alia actio, quam odium Dei; hoc ipso, odium Dei, non esset malum; quis autem dicit nullam operationem malam esse? quod si operatio ad alterum, potest bene vel male fieri, hoc ipso dabitur virtus determinans, ut non nisi bene fiat.

Neq; valet, si dicas, illam actionem ad alterum, esse essentialiter indifferentem, h. c. de cuius ratione sit neque esse bonam, neq; unquam esse malam: quia si alia indifferentes actiones non sunt tales, cur hæc una, quæ est ad alterum, erit talis? Deinde & esset illa actio essentialiter indifferentis, & non esset; esset, ut supponitur, non esset autem: quia hoc non potest dici essentialiter indifferentis, quod non est ad utrumlibet, sed est ad neutrumlibet. Est autem ad neutrumlibet, quod non potest melius esse, non potest esse bonum &c. pone enim indifferentiam voluntatis secundum quam v. g. non possit unquam velle deambulare; nec possit unquam velle, non deambulare; quæ erit hæc illius indifference? ita & in præsenti. Dicamq; etiam lapidem esse indifferentem essentialiter ad motum: quia essentialis est illi, non posse velle mouere; & non posse se nolle mouere.

Posito ergo, quod aliqua virtus sit ad alterum. Probatur, hanc non esse alia, nisi iustitiam. Tum quia, quæcunq; alia virtutes ostendentur, quæ sunt ad alium, sunt species, quamvis non rigorosè justitiae, qualis est Pietas, Religio &c. Tum quia. Prudentia, non est ad alterum, sed est in bonum dirigitur; licet ex consequenti redundet in bonum alius. Virtutes etiam concupisibilis, non sunt ad alterum, sed ad refrenandam concupiscentiam concupiscentis. Idemque descendunt de virtutibus irascibilis. Ergo sola, saltem ex cardinalibus virtutibus, iustitia, erit ad alterum. Tum quia, nulla alia virtus in sua ratione formaliter importat clarè, & distinctè speciem relationis ab Arist. agnitam, qui præter Unitatem & Actionem, ponit etiæ Æqualitatem.

OBJCIT sibi 1. Dicastillo. Qui retinet suum jus illud defendendo, vendicando proprium, ab alio possesso desiderando sibi solvi, &c. similia, justè dicitur agere, & tamen hæc iustitia non est ad alterum. Ergo iustitia non est virtus ad alterum. Responder Dicast. cit. num. 7. Talem justè agere, non propter actum positivum conservandijus; sed propter actum negativum non accipiendi aliquid ex rebus alterius: ideo enim, qui res suas defendit, dicitur justè, agere: quia nihil accipit de alieno: & non violat jus alterius.

Hæc Responsio NON SATISFACIT. Quia, in communi estimatione, & usu dicendi, non solum dicitur justè aliquis agere: quia vindicando res suas, non accipit de alieno: sed etiam

* B

sub

R. P.
TH. MIOD
Hajnowski
Tome 3. c. 14.
D. VI
6

Tractatus I.

sub hac formalitate, quia proprium eliberat; debuissetq; ratio reddi, cur actus ipse ille positivus, justitialis non sit, & quidem, ratio, quæ non petat principium. *Hinc*

R E S P O N D E T 2. aliter Lugo cit. n. 20. Non esse in creditore aetum justitiae propriæ, & rigorosè, si desideret, ut solvat illi debitor: sicut nec ideo sum gratus, quia desidero aliquem esse mihi gratum: nec ideo sum liberalis, quia desidero te erga me liberalem. Nam licet possim desiderare tibi hos actus, ex affectu ad honestatem objectivam illarum virtutum, illud tamen objectum non refundet honestatem propriam gratitudinis, & liberalitatis in quemlibet actum, quem terminat, sed solum in illum honestatem. Sic etiam, ille est justus, qui vult ipse non violare jus alienum, non qui vult, alium non violare jus alienum: quæ differentia ex parte objecti sufficit ad hoc, ut illi duo affectus in ratione virtutis, & in genere moris, differant. De quo eodem puncto ita discurrebat d. 3. de Pœnitent. n. 20. Quod specie differre, sit notabiliter differre: potest tamen contingere, ut, quæ notabiliter differunt in ordine ad aliquem finem, nihilominus ad aliam considerationem, non differant notabiliter. Et ita, voluntas furandi argenteum, propter bonitatem argenti, differt physicè à voluntate furandi aurum propter bonitatem auri; & tamen illæ duæ voluntates non differunt specie Theologica. Simile quid accedit in virtutibus: quia duæ honestates objectivæ castitatis alienæ & propriæ, non differunt specie Physica: quia finis & motivum utriusque, est idem; differunt tamen specie moralis: in hac enim consideratione multum differt, Velle me esse castum, &, velle, quod alii sint casti.

Hæc Responsio. Non satisfacit. Quia, præter infradicenda, quæ contra illam applicari poterunt, non probat aliqua, quæ probanda fuerunt. Nego enim, quod actus elicitus propter honestatem propriam alicujus virtutis, non derivet suam honestatem in illum actum, nisi quis velit, sibi non nisi, illam honestatem. Nego item, quod differentia ex parte subjecti sufficiat ad hoc ut illi duo affectus in genere moris differant. Nego item, quod, in actionibus virtutum, species eadem Physica virtutum, non sit species Moralis: nam in virtutibus, species moralis indistinguitur à specie Physica motivi: quæ enim est species moralis, nisi honestas motivi moralis? motivum autem ipsum, nihil aliud est, præter ipsum specificativum Physicum virtutis, vel virtutis.

Exemplum autem illud, quod ad fert, de voluntate furandi aurum, vel argenteum, non convenit. Nam Physica ratio auri, vel argenti, non ingreditur Phycicam rationem motivi, quæ Physica illa ratio, constituit actum moralum: sed per accidentem sc̄ ad hoc habet. Jam autem, sive

mihi, sive alteri, propter hanc in specie Physicam honestatem virtutis, aliquid velim, in quantum illa ingreditur moralitatem, tunc jam illa species honestatis, per se ingreditur illam virtutem, ut pote motivum per se intentum.

Ut huic difficultati satisfiat, alias etiam in materia de Pœnitentia tractata, ubi queritur, an etiam peccata aliena sint materiae pœnitentia objectum.

S U P P O N O 1. hoc, quod est desiderare sibi solvi à debitore, &c. similia, in quibuscumque aliis virtutibus, contingere potest imprimis, accipiendo virtutis alicujus motivum formale, non nisi pro suo materiali, desiderando æqualitatem justitiale, propter commodum suæ fortunæ, ditationis, sufficientiæ sumptuum ad tractationem, ne irrideatur tanquam contemptui habitus per denegatam solutionem, &c. similia. Eo casu, desiderium illius solutionis, non est actus justitiae. Ratio. Quia nihil in ratione actus justitiae constituit sine formali justitiae; sed tunc non haberet formale justitiae: hoc enim est formale, quod pro ratione ultimata actus, hic & nunc reddi potest: jam autem hic & nunc æqualitas non potest reddi pro tali ratione, sed potius v.g. sufficientia sumptus ad tractationem.

Deinde, quando assumitur formale alicujus virtutis non nisi pro materiali, restringiturque per ulterius aliquid: videtur intercedere tacita aliqua refutatio prioris. Unde qui attendit nonnisi sufficientiam sumptuum ad tractationem, etiamsi sciret nunquam sibi reddendum, sed quia non reddendum est, ideo se habitum sufficientiam sumptuum ad tractationem, aliquo alio, illos sumptus suppeditante, ideo, quia alius non reddidit, bene esset contentus; quod est, non attendere ad æqualitatem justitiale, quæ tales. Denique quando rectitudo Logica restringitur per hoc, quia directivè & scientifice conducit ad rectitudinem moralem, quæ tales, evadit ille actus non Logicus, sed Ethicus. In quantum autem, hæc ipsa rectitudo moralis restringitur per rationem entis, evadit objectum Metaphysicæ. Ergo etiamsi æqualitas justitialis restringatur per aliud motivum, non erit adhuc tunc actus justitiae.

S U P P O N O 2. Hoc, quod est desiderare sibi solvi à debitore, potest etiam fieri ex motivo formalis justitiae; ita, ut ultimò hic & nunc vestit & forma actum, honestas æqualitatis justitialis, & hic actus spectabit ad virtutem justitiae, idemq; proportionaliter dicendum de aliis virtutibus, vel virtutis. Ratio. Tum quia. Actus vestitus consideratione entis, quæ entis, spectat ad Metaphysicam, nec potest non spectare: nec est illuc distinguere, rationem Metaphysici, & ratione Scientis. Actus item vestitus consideratione recti Logice, est non nisi Logicus. Ergo & actus virtutum moralium, erunt actus iliarum virtutum, quarum formalis vestiuntur.

Spe-

Disputatio I.

15

Specificatioq; Physica à motivo desumpta, in-
trante tamen cancellos virtutis, vel vitii, non
discernetur à ratione moralis virtutis. Tum
quia. Deberent multiplicari habitus sine ne-
cessitate, ut alius sit, qui desiderat & qualitatem
in alio iustitiale, & alius, qui desiderat in se.
Tum quia. Ad rationem formalem talis actus,
non aliud requiritur, nisi actus, & tale, motivum
formale. Et, hoc probat inductio in omnibus
actibus, sine disputatione, talibus. Resolvitur
que in illud principium: quia effectus formalis,
nihil aliud est, nisi subjectum capax illius forme,
& forma unita. Hic autem subjectum, quod est
capax illius motivi, est actus humanus, & forma,
est ipsum formale, seu motivum. Ergo resul-
tare debet talis actus formaliter. Tum quia.
Si quid obesset, quominus ille actus, quo credi-
tor desiderat sibi solvi à debitore, foret iustitia-
lis, id obesset: quia non esset ad alterum, sed
elecerat alterum. Quod probatur? quia ille as-
sumens honestatem & qualitatem iustitiae, hoc
ipso vult innixa illi & qualitatib; adeoque refu-
sat virtualiter omnia illi contraria, & ample-
ditur innixa: consequenter, amplectitur es-
sentialie illius; adeoq; alteritatem: est enim im-
possibile velle essentialiam alicuius, & nolle illius
essentialia; adeoque nolle alteritatem
innexam iustitiae. Unde virtualiter hic inter-
cedit actus. Volo solutionem debiti, non quia
debitum meum est; sed, quia est debitum: ita,
ut si per impossibile, ego desiderans distingue-
re a me creditore, vellem nihilominus illi fa-
cias fieri; hæcq; alteritas posset appellari, alterita-
& equivalens, & moralis.

Quia tamen urgeri posset: Quod talis alte-
ritas, non sit ad iustitiam sufficiens, hinc aliter
illa salvare posset. Nempe, quia actio ab illo
desiderata, dicit alteritatem sufficientem: im-
portat enim actum solutionis ponendum à cre-
ditore, in quo objecto est sufficiens alteritas,
non quidem alteritas desiderantis, sed alteritas
inclusa in objecto desiderato. Tum quia, ut di-
ximus in materia de Pœnitentia. Possum benè
detestari peccatum alienum, ex motivo Pœni-
tentiae; ita, ut ille actus dicatur esse virtutis Pœni-
tentiae. Ergo & desiderare possum ex moti-
vo iustitiae, ut alius sit justus, ita, ut actus ille, sit
actus iustitiae. Et, certè, si non esset hic actus
iustitiae, vel maximè esset actus virtutis econo-
miae, vel amoris rationabilis sui; quod non
potest esse: quia motivum illius actus nempe
& qualitas, non est motivum amoris sui.

SUPONO 3. Distinctas esse has propositio-
nes. Desiderans sibi fieri solutionem ex moti-
vo & qualitatis, facit actum virtutis iustitiae; &
alia haec Propositio. Desiderans sibi fieri solu-
tionem, est sibi justus. Prior propositio non
plus vult, quam actum esse elicium ex motivo
iustitiae, posterior autem requirit alteritatem
juris, & obligationis; nemo autem sibi ipsi ob-

ligatur. Et sicut, dum Paulus vult à Petro sa-
tisfieri Andreæ, non est justus Andreæ Paulus,
quamvis inter Paulum & Andream intercedat
alteritas, quæ ad iustitiam requiritur; sive illa
alteritas sit naturarum, sive suppositorum: ex eo
quia nō intercedit alteritas juris & obligationis.
Sic, nec in præsenti, desiderans solutionem sibi
fieri, erit sibi justus. Ex quo ulterius deduces,
eum, qui sibi desiderat fieri gratitudinem, idq;
ex motivo præciso virtutis gratitudinis, non esse
tamen cum sibi gratia: quia nec sibi est obli-
gatus. Et sic de cæteris quibuscumque virtu-
tibus.

Quod ipsum ulterius in hoc fundatur. Quia
tales denominations, sunt denominations ad
placitum, potestq; adstringi, ut non denomi-
nent, nisi posita alteritate, fundata in jure &
obligatione, quæ, quia non intercedit, dum ali-
quis vult sibi fieri gratitudinem, solutionem,
&c. fit, ut non debeat dici gratus, justus, &c.
Et, sicut non dicitur, solvens debitorem, qui ha-
bet voluntatem solvendi, eo quod solvens, sup-
ponat ex usu humano, pro actuali exhibitione
debiti; Sic nec vocabitur justus, qui sibi ipsi
ex motivo iustitiae desiderat fieri solutionem.

His ergo suppositis.

RESPONDE TUR 3. Desiderantem sibi solvi,
justè id agere, si faciat ex motivo præciso & qua-
litatis, ut dixi supposito secundo; non tamen, si
faciat ex alio motivo, ut dixi supposito primo;
diceturque justè agere, hoc est, ponere ex mo-
tivo iustitiae actum. Sed non dicetur justè age-
re h. e. esse sibi ipsi justus, ut dixi supposito ter-
tiio. Et tunc ille actus, non erit quidem ad al-
terum, alteritate, quā dicatur ille sibi ipsi esse
justus; erit tamen ad alterum, alteritate & equi-
valenti & morali. Vel si hac non sit conten-
tus, erit ille actus ad alterum, alteritate inclusa
in objecto desiderato.

Quare autem non debeat dici ebriosus, quod
sit temperans, etiamsi velit alium sobrium, di-
ctum in materia de Pœnitentia. Et certè,
etiam in linea iustitiae, dantur denominations
sine alteritate formalis, si cæterá adsint: deno-
minatur enim aliquis justè accipiens, non tamen
accipiendo suum, justus: deficiente, scilicet, ob-
ligatione, &c. Et, aliquis sibi indulgens, facit
actum internum virtutis mortificationis; si ho-
nestate macerationis sui moveatur; licet non
denominetur mortificatus; ita & in præsenti:
arguendo, scil. à magis noto ad ignotius, & con-
troversum.

Expeditus etiam dici posset, talem actum
esse revocabiliter, & reductivè non nisi spectan-
tem ad iustitiam, licet in aliquo deficiat, ostendit
urq; ideo hæc alteritas aliqualis, ut ostenda-
tur revocabilitas ad formale iustitiae.

INSTARI potest contra hanc Responsio-
nem. Si quis, aliquid sibi optet, est sui amans.
Si quis etiam optet alteri; est etiam amans. Er-

* B 2 go,

R. P.
H. MLOD
13.0.1851
T. 13. 4.
D. VI
6

go, universaliter, idem habitus; charitatis, vult & sibi, & alteri benè. Ergo, eadem virtus justitiae, circa jus proprium, & alienum versari potest.

R E S P O N D. Hanc Instantiam tria posse intendere. Imprimis, quod aliquis debeat dici justus erga se, sicut & amans sui: & hoc negandum est. Ratio, quia denominatio justi, ex usu & acceptatione humana, fundata in hoc, quod etiam debeat esse virtus ad alterum quam talem, exigit, ut non cadat in eum solum, qui elicit actum justitiae, sed in eum, qui habet alteritatem debiti; nemo autem sibi ipsi debet. Supponitur autem quijustus alteri est, supponitur, inquam, obligatus justitiae; ita, ut si non satisfaciat, committat injuriam. Nemo autem sibi obligatur, vel injustus sibi esse potest. Secundo, potest intendere, quod idem habitus principi et amore sui, & aliorum, adeoq; quod idem habitus principi desiderium solvendi sibi, & ipsam solutionem, modo fiat utrumq; ex eodem motivo; & sic huic Instantiae debet concedi totum. Denique hæc Instantia intendere hoc potest; quod jus proprium sufficienter formet virtutem justitiae, & versans circa jus proprium, dicitur sibi justus; & hoc falsum est, & propter usum vocis, & propter defectum illius juris in obligando, eodem, qui habet jus; cum, si illum obligaret, non jam jus, sed debitum illius esset.

Solvuntur relique Objectiones.

O B J I C T sibi secundò Lugo. Petrus potest petere, ut occidatur à Paulo, quæ petitio, est contra justitiam: quia etiam illius impletio, est contra justitiam; hinc suasio etiam occasionis, posita in illa petitione, erit contra justitiam, & tamen, non contra alterum. Ergo apparent justitiam non esse virtutem universaliter ad alterum. Item v.g. potest maritus cedere jure suo, & tamen id faceret contra justitiam: quia, & peccatum illud erit contra justitiam, & tamen cessio illa, non est peccatum ad alterum. Ergo justitia non est virtus ad alterum.

R E S P O N D E T U R. Jus ad vitam & conjugem, duplex esse. Quoddam privatum, & hoc cedit Petrus, & maritus, neq; tunc peccabitur contra hoc jus, ut post Lessium, docet Lugo citatus n. 19. Secundum jus est publicum, & ita Respublica habet jus in vitam privatorum, non solum auferendam, sed etiam conservandam, habet item jus in conjugem & Respublica, bonumq; commune, cui opponitur, promiscuus corporum usus. Hinc cedens jus ad vitam, vel conjugem, peccat contra hoc jus; adeoq; commitit in justitiam contra alterum: hinc & occidens, vel adulter, hoc jus solum præcisè violando, committit in justitiam contra alterum.

Quod ipsum sic ulterius explanari potest. Unum idemq; Objectum capax est plurium ti-

tulorum in eo genere, in quo Objectum est. Sic v.g. in genere sciendi, una eademq; Conclusio inferri potest ex pluribus præmissis, etiam diversarum scientiarum: sic enim conclusionem de bonitate operationis intellectualis, infert & Logica, secundum præmissas bonitatis Regulorum, & Physicus, secundum præmissas bonitatis, vitalitate clausæ, Ethicus, secundum præmissas bonitatis actui morali inclusæ: Et Metaphysicus, secundum præmissas bonitatis, pro attributo supponentis. In genere etiam volendi, unus idemq; finis, bene appeti potest ex pluribus motivis. Sicut ergo unum idemq; objectum, capax est plurium titulorum, ita & una eademq; res, potest pluribus ligari juribus. Posito autem, quod eadem res pluribus titulis ligetur, fit imprimis, ut abdicatio unius tituli, non sit abdicatio aliis tituli, & juris: hoc enim ipso, non essent illa plura jura, cum nec plures obligationes. Cum jam deobligatio unius juris, foret deobligatio aliis juris: fit rursus, ut interdum jura & obligationes omnes, sint in ejusdem manu, interdum non in ejusdem. Et ita, jus altum, non est in manu privatorum; & unus privatus non potest cedere juri alto. Si item idem bonum duo privati possideant, unus privatus non potest cassare jus aliis; quod tunc universaliter contingit, quando titulus, aliis est, fundans aliud jus; vel si est simile jus, saltem est alterius personæ; tunc enim cessante una obligatione, manet alia obligatio.

Quod in præsenti sic applicatur. Ad eandem vitam, habet jus privatus, habet etiam communitas & Respublica: quæ jura duo sunt distincta, & obligatio corundem; &, quia jus privatum, non subordinat sibi jus publicum, sed è converso; hinc cessio juris privati, non erit cessio juris publici, seu alti; quo posito, petens se occidi, agit contra suam vitam, ligatam jure alto Reipublica: adeoq; commitit in justitiam, qua agit contra jus alterius; occidens etiam non agit quidem contra jus occisi, quod jam est remissum, & deobligans, sed agit contra jus communitatis, quod habet ad illam vitam. Quæ autem dicta sunt de occidente, proportionaliter dicidebent; de usu alienæ, cedente marito.

O B J I C T 3. Adferendo varias Instantias, quæ probant, posse esse actum justitiae sine alteritate.

P R I M A Instantia est. Si aliquis tutor ex bonis clientis satisfaceret sibi, esset justus sibi, & tamen idem respectu sui, non habet alteritatem. Idemque contingit, cum aliquis thesaurarius ex bonis communitatis, sibi privato obligatae, solvit sibi.

R E S P O N D E T Aliqui. Quod Tutor & Thesaurarius, non solvant sibi quā sibi, sed quā dupli moraliter personæ æquivalent. Unde publi-

Disputatio I.

17

publica persona solvit sibi, quā privatæ, & persona tutoris sibi solvit, ut v. g. Petro. *Hat Re-*
busio

NON SATIS FACIT. Quia per illos, qui desiderant sibi solvere alium, non facit actum justitiae, nec potest illuc subdividi persona desiderantis, in personam cui est solvendum: Ergo ne in praesenti dabitur talis subdivisio, idq; in principio illorum. *Hinc alter*

RESPONDETUR 2. Quod si aliquis Tutor, vel Thesaurarius faciat id, motivo boni proprii, non sit facturus actum formalem justitiae. Si autem id faciat ex proprio motivo illius virtutis, faciet actum justitiae, qui habebit alteritatem, non in ipso satisfaciens, sed in eo, cuius nomine facit, & cuius obligatio est sua moraliter. Sed denominabitur ē, ipse sibi justus? Videlur denominandus. Ratio, quia in primis non facit id nomine proprio, sed nomine residue à communis tatis, quae sufficien tem alteritatem habet ab illo, prout privato: facitq; idem Tutor, non nomine proprio, sed nomine Clientis, inter clientem autem, & ipsum, sufficiens reperitur alteritas. Quando autem desiderat sibi satisficeri ab alio, non id desiderat nomine alieno, sed proprio.

Ex alio etiam capite, posset dici, sibi ipsi esse justus; quia si non intelligatur cessisse juri proprio, tenetur sibi satisfacere; est ergo in eo obligatio debiti, & solutionis, qualis non est, cum desiderat sibi solvi ab alio.

Quod autem fit in eo obligatio debiti & solutionis, sic explicari posset. Quia hæc Major certa est. Tutor obligatur ex justitia satisfacere nomine clientis, idemq; proportionaliter applicari debet, ad Thesaurarium. Ergo nisi ipse voluntaria cessione, eximat se, ab illa Majori, includetur in illa. Ergo etiam & sibi, qua creditor est, nisi jure suo cedat, debet satisfacere ex justitia. Quod autem illa universalis sit vera. Probatur. Quia, cliens obligatur ex justitia satisfacere omnibus, nisi jure suo cedant. Ergo & tutor, cum eadem moraliter personam constituat cum suo cliente? & quia tota obligatio tutoris, penderet ad obligationem clientis, cuius obligatio est sua moraliter, sit, ut cui est obligatus ex justitia tutor, adeoque & sibi. Quia tamen hic, qui dicitur esse justus, supponitur habere propriam obligationem, nec esse moraliter aliis, ratione nominis, scil. ejus, cuius nomine satisfacit; sit, ut cum hoc in tute & thesaurario non reperiatur, non dicantur sibi ipsi justi. Hinc dici potest, conformiter ad superiora, quod non sit sibi justus: quia licet rationes adlatae tenerent, usurpatio tamen vocis, justus, hoc sensu non procedit; cum, etiamsi sibi non solveret, non foret injustus: nemo enim volens injuriam patitur.

SE CUNDA INSTANTIA est. Unus idemq; replicetur, occurrat sibi, & impingat colaphum,

se percutiens: poterit deprecari se percutsum, & quidem ex justitia. Ergo justitia non requirit alteritatem.

RESPONDETUR conformiter ad dicta in Philosophia. Quod, replicatus seipsum percutere possit. Quod attinet ad hoc, an seipsum ex justitia deprecatur sit? duo queri possunt. An illum actum possit facere ex motivo justitiae? & an sibi sit futurus justus? Quoad primum; poterit se deprecari ex motivo honestatis, quæ est compensandi bono, malum: eritque actus hic, ad alterum, & equivalenter, adeoque, actus justitiae & equivalenter. Sed eritne sibi justus? consequenter ad dicta superius; non erit sibi justus: quia hoc nomen, justus, applicatum est ad reddendum debitum formale, ad jus formale, ita, ut scil. debitum, non sit jus, & è converso. In praesenti autem debens, est formaliter habens jus, & è converso.

TERTIA INSTANTIA est. Quod, Christus satisfaciens pro peccatis ex justitia, non solum Patri & Spiritui Sancto, sed etiam Sibi: & tamen quoad sibi, sine illa alteritate. Ergo appetet, quod ad justitiam alteritas non requiratur.

RESPONDETUR. Sicut dictum supra in simili. Christum ex motivo & qualitatis potuisse ponere suam satisfactionem, quæ respiceret alteritatem, non satisfactionis, & cui satisfisi, sed alteritatem obligati, & ejus, cui obligabatur: non suisse tamen sibi ipsi justum: quia hæc vox supponit, pro distinctione ipsiusmet satisfactionis, & ejus cui satisfisi. Addo, quod satisfactione facta à Christo, elicivè penderet à natura humana, quæ habebat alteritatem à Persona Verbi, cui satisfiebat, licet significativè, penderet à Persona Verbi. Sed de hoc in 3. Parte.

Quando autem urgetur. Quod omnis virtus sit bonum habentis. Ergo si justitia est virtus, non est ad alterum. Non convincit. Omnis enim virtus ex ratione sua generica, est bonum habentis: hinc, & justitia ex ratione sua generica, est bonum habentis: decorat enim habentem, quod neminem injuriet; licet virtus secundum suam rationem differentiali ultimo, possit esse aliqua, bonum aliud.

DIFFICULTAS III.

De reliquis Prædicatoris Justitiae.

IMprimis, quærendum erit: An justitia sit virtus particularis? Deinde, an sit præstantissima virtus?

Punctum Difficultatis 1.

*An Justitia Particularis, sit Specialis
virtus?*

INdubio, justitia, si non sumatur pro virtute cardinali, non est virtus specialis. Ratio, quia

* B 3 & el=

Tractatus I.

& esset specialis virtus, & non esset; esset quidem, ut supponitur; non esset autem: quia justitia, prout contraponitur virtuti cardinali, est complexio omnium virtutum, complexio autem omnium virtutum, non est una virtus; sicut decem, non est unitas numeri: adeoque, nec virtus specialis: hæc enim duo pro eodem supponunt: Cæterum

DICENDUM. *Justitia, si sumatur pro virtute cardinali, in quantum supponit pro justitia particulari, est specialis.*

Antequam probetur Conclusio:

Explicanda est vis vocis. Ly, Justitia particularis, quæ ex S. Th. hic q. 58. a. 5. cum opodo-
to sibi membro, quod est justitia Legalis, habito
fundamento in Arist., Eth. c. 1. & 2. sic explicari potest. Justitia est virtus ad alterum, ut dictum supra, si est virtus ad alterum, quo modi
sunt alteritatis, tot etiam erunt & virtutis ad alterum, seu justitia. Quia verò modius alteritatis, est considerare alterum, vel tanquam singularem, vel considerare, prout alter supponit
pro tota communitate; hinc sit, ut justitia exten-
dat se ad alterum singulariter, & ad alterum
communiter, seu, secundum quod communitas
est. Et quidem incipiendo explicationem ab
haec extensione justitiali ad alterum, quod alte-
rum, communitas est. Illa sic proponitur.

Omnis communitas habet se sicut totum: si enim non haberet se ut totum, hoc ipso non esset cum aliis unitas, adeoq; communitas, sed mera solitudo, unitas uniter, non communiter. Si communitas habet se sicut totum, inclusi in com-
munitate habebunt se, sicut partes totius; si eni-
m non se haberent ut partes, hoc ipso nec il-
lud aliud haberet se ut totum; cum totum con-
furgat ex nexu, & ordine partium. Quod si sin-
guli illius communitatis, habent se sicut partes,
sit, ut sicut partes sunt totius, ita & bonum par-
tium, sit bonum totius: quæ enim est proportio
partis ad totum, eadem est proportio boni par-
tis, ad bonum totius; hinc ordo ad illud bonum
totius, erit ordo ad bonum communitatis. Quia
verò hic ordo, si ponatur, est bonum actualis po-
tentiae, debuit dari principium, in ordine ad po-
nendum tale actualis bonum. Et quia hoc prin-
cipium erit perfectio potentiae, hoc principium
debuit esse virtus: & quia hæc virtus respicere
debet, ut dictum, aliud, tanquam communita-
tem & generalitatem, debuit dari virtus ad al-
terum, seu justitia generalis. Et quia inquit S.
Th. *ad legem pertinet, ordinare in bonum commu-*
ne, inde est, quod talis justitia prædicto modo
generalis, dicatur justitia legalis: quia scil. per
eum homo concordat legi, ordinanti actus vir-
tutum omnium in bonum commune. Quod autem
attinet ad alterum membrum, quod est,
justitia particularis, ex dictis colligitur, quod
cum actualis ordo ad bonum alterius particula-

ris, sit bonum actuale, debuit illius dari aliquod principium, quod indubie erit perfectio potentiae, ad alterum, adeoque virtus justitia, quæ at-
tendens ad bonum singularis, & particularis, benè appellari potest justitia Particularis.

Hac explicatione vocum, Ly justitia Particularis, & Ly justitia Generalis, positâ.

PROBATOR 1. Conclusio. Illa est, ex com-
muni acceptance, virtus specialis, quæ habet
motivum suum speciale. Sed, ut infra probabitur,
justitia cardinalis habet suum motivum spe-
ciale. Ergo.

PROBATOR 2. Si justitia cardinalis non es-
set virtus specialis, nec illi conveniret esse justi-
tiæ particularem. Sequela probatur, quia ex
quocunq; principio justitiæ cardinali competit
esse justitiæ particularem, ex eodem propor-
tionatè competit illi esse virtutem specialem.
Ergo, si non competit illi esse virtutem specia-
lem, nec competit esse virtutem particularem.
Antecedens probatur. Ex termino, qui est, al-
ter particulariter, competit illi esse particula-
rem virtutem. Ergo, & esse virtutem specia-
lem: nec enim est major ratio unius, quam alte-
rius. Exinde, id etiam colligi potest, quia nu-
merando singulas virtutes cardinales, nullius
illarum habet motivum: nam nec respicit mo-
tivum dirigendi se ad regulam rationis, huc &
nunc, quam honestatem respicit prudentia;
nec respicit honestatem adverbi superandi,
quod est proprium fortitudinis; nec respicit
honestatem refrenandi appetitum à delectatio-
nibus sensualibus, sed honestatem æqualitatis
ad jus particularis. Ergo, appareat habere illam
proprium & speciale motivum.

PROBATOR 3. Si justitia Particularis non
esset virtus specialis, nemo prodigalis v. g. pos-
set esse justus, vel cuiuscunque aliis virtutis de-
fectum habens. Seq. probatur; quia virtus ge-
neralis debet omnes virtutes complecti: Sicut
enim non est ro, si vel una defit unitas, sic etiam
non erit generalis virtus si vel una defit: & ta-
men experimur malos in aliis generibus, in ge-
nere justitiae, & additionis alieni, bonos esse.

DICES. Saltem hoc sensu, justitia particu-
laris non est specialis virtus: quia non habet
motivum distinctum ab aliis. Quod ipsum
probatur; quia motivum illius coincidit cum
absoluta ratione, & completa honestatis inclu-
sæ in virtute Religionis. Quod ipsum proba-
tur; quia Religio tribuit Deo jus suum, hono-
rando eundem; completere autem honorarium
potest, nisi honoretur etiam, prout est man-
dans, inter mandata autem ejus, est tribuere u-
nicuique jus suum. Ergo hoc tribuere, specta-
bit ad virtutem Religionis. Idemque Argu-
mentum, mutatis terminis, probabit, quod ab
obedientia non distinguatur justitia, quia obe-
dientia mandat unicuique suum jus tribui.

RESPON-

Disputatio I.

19

RESPONDE TUR. Si sumatur Religio, & obedientia, secundum rationem suam comple-
tum; hoc est, secundum vim imperandi, sic ex-
tendunt se ad æqualitatem Justitiae. Nam
una virtus potest imperare aliam. Cæterum,
si complete Religio, & Obedientia sumantur,
secundum vim eliciendi actus & quales Juri al-
tenus, & secundum præcisam attendentiam ad
æqualitatem, sic, non sè extendunt ad actus Ju-
stitia, & objectum: sed ipsam æqualitatem, à
habitatione restringunt; nempe, quia æqua-
litate v.g. colitur Deus, consequenter dant locum
speciali virtuti ad attendendum æqualita-
ti justitiae: ad eum modum, quo, quia Rectifi-
cabilitatem operationum restringit Physica,
per vitalitatem, dat locum speciali habitui Lo-
gicæ, attendendi ad præcīam illarum Rectifi-
cabilitatem. Quæ omnia infundantur in hoc
principio. Habitus & virtutes in tantum mul-
tiplicari possunt, in quantum ipsa objecta, &
motiva possunt habere specialitatem suam, in
qua sibi præcisè possit. Idque probat inducōio,
& præter inductionem, hæc Ratio: Quia cùm
virtutes, & habitus objecto & motivo specifi-
centur, sicut datur specialitas motivi, in quo
præcīe sibi possit; ita debet dari habitus & vir-
tus specialis; cum secundum numerum motivorum
& objectorum, tanquam specificativorum,
sit etiam numerus habituum & virtutum;
ad eum modum, quo, quòd sunt differentiæ ani-
malium, tot sunt species animalium. Et sicut ani-
mal, quod est de se Ratio Communis, attendit
non nisi ad totitatem differentiarum, & secun-
dum illas se multiplicat; ita virtus & habitus,
que sunt rationes communes, attendunt ad to-
titatem objecti & motivi, & secundum illam, se
multiplicant.

Punctum Difficultatis 2.

An etiam Justitia Generalis, sic virtus
specialis?

DICENDUM est. Justitiam Legalem, seu gene-
ralē, esse speciem virtutem. Ut inten-
tum Conclusionis proberetur, repeatatur explica-
tio hujus ipsius termini. Justitia Generalis, ex
supradictis, ex S. Thom. hic q. 58. a. 6. in Cor-
pore. In hocque ratio hujus Justitiae Legalis
stat, quod est, respicere Jus Communitatis, v.g.
Patria, quæ tale: & infuper, ita proponitur.

Generale dicitur aliiquid dupliciter. Gene-
rale Logicæ seu per prædicationem, sicut animal
est generale ad hominem & equum, & ad alia
hujusmodi: quia vero dici sequitur ad esse, licet
magis notificetur per dici, sit, ut detur generale
aliiquid in essendo, quale est ipsum animal ut sic,
homo ut sic, &c. similia. Hæcque duo per mo-
dum unius generalis sumantur, sicut ipsum esse
& dici, & sicut ipsum esse, intelligi. Secundo,
et aliiquid generale secundum virtutem, sicut

causa universalis: est generalis ad omnes suos ef-
fectus, ut, Sol ad omnia corpora, quæ illumi-
nantur, vel immutantur per virtutem illius. Si
comparentur hi duo modi generalitatis inter
se, prima generalitas, non distinguitur ab his,
quorum generalitas non distinguitur physicè:
Genus enim pertinet ad essentiam speciei: in
qua quia, identificantur genus & differentia, sit,
ut generalitas illa, non distinguitur physicè ab
iis, quorum generalitas est. Quia verò Justitia
non sè habet, ut genus ad alias virtutes v.g. Re-
ligionem, Prudentiam, &c. similia, sit, ut ex hoc
capite, non possit dici habere indistinguibilita-
tem suam physicam à reliquis virtutibus; tri-
buitur tamen illi generalitas secundum virtutem:
quia etiam illa ordinat actus, aliarum vir-
tutum in suum finem. Sed hæc generalitas, non
arguit indistinctiōem illius à cæteris virtutibus:
quia generale secundum virtutem, non est
idem in essentia cum his, ad quæ est generale:
quia non est eadem essentia causæ & effectus.

Quia verò finis justitiae generalis, est bonum
comune; videndi sunt adhuc modi hujus ipsius
ordinis: qui quidem modus, duplex est: Nam
aliqua ita ordinantur ad bonum commune, ut
actus aliquo modo non nisi ad illud ordinantur;
& sic, bonum est communis etiam pruden-
tia, & temperantia subditum, &c. Et si pro-
taliter ordinata virtute ad bonum communis
acciperetur justitia, non distingueretur ab
aliis virtutibus.

Deinde, ita aliqua ordinantur ad bonum
commune, ut illud per se, & quæ tale respiciant,
attendant ad Jus quæ tale communis, &
hoc est, justitia illa Legalis, vel generalis, quam
esse speciale virtutem.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis s.
Eth. i. ubi ita loquitur. Ob id autem ipsum, &
aliorum bonum, ipsa sola justitia ex omnibus virtutibus,
& habetur, & est, cum sit ad alium. Agit enim
ea, quæ alii vel Principi vel Republica conferunt.
Ubi vult Justitiam esse ex virtutibus unam, &
quidem Justitiam legalem: quia conduceat
bono Reipub: & paulo ante, cum posuisset Ju-
stitiam esse virtutem perfectam non absolute ta-
men, sed ad alterum, addit adhuc illam esse præ-
stantissimam virtutem. Complures enim in pro-
priis quidem uti virtute possunt, sed in tis, quæ sunt
ad alium, nequeunt. Et propriea sententia Brantii
illa bene se habet: Magistratus Virum offendit.
Ad alium enim est, & in societate, jam ipse magi-
stratus consilii. Ubi Arist. virtutem, societa-
tem, seu bonum commune respicientem, appelleat
perfectissimam virtutem. Tertio etiam Po-
lit. c. 3. ait, quod non sit simpliciter eadem virtus bo-
ni viri, & boni civis. Subsumit S. Thomas, cit.
Sed virtus boni civis est Justitia generalis, per quam
aliquis ordinatur ad bonum commune. Ergo non
est eadem Justitia generalis cum virtute com-
muni.

R. P.
TH. MLOD.
Ja. Nowski
Tome 3. e. 4.
D. VI
6

PROBATOR 2. Auct. S. Thomæ cit. Ex quo etiam hæc Ratio ponitur. Si justitia generalis non esset specialis virtus, ideo non esset, quia non esset distincta à cæteris virtutibus, quarum actus ordinat in finem; quod est bonum commune. Sed est distincta. Tum quia, Omnis causa & effectus distinguuntur inter se: Causa autem ordinatioñis cæterarum virtutum, est justitia generalis. Ergo. Tum quia. Charitas potest dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum, in bonum commune; & tamen hoc non obstante, Charitas est virtus specialis. Ergo & justitia generalis, specialis virtus erit. Tum quia, virtus respiciens bonum divinum, ut proprium objectum, est virtus specialis: Ergo & justitia Legalis, quæ respicit commune bonum, ut objectum proprium, erit virtus specialis.

PROBATOR 3. In hoc, quod est Justitiam legalem esse specialem virtutem, duo includuntur, quod Justitia legalis sit virtus, & quod sit virtus specialis: utrumque illi convenit. Ratio prioris partis ex dictis est: Quia attendere ad bonum communitatis, quâ tale, est perfectio potentiae, sicut malum, velle subrutam communitatem, quâ talem. Quod autem justitia Legalis competat esse virtutem specialem; Ratio præter dictas est: Quia si non esset specialis virtus Justitia legalis, vel ex eo non esset: quia attenderet ad objectum valde generale, quia non est istud magis generale objectum, quam Ens, ut Ens; quod tamen à Metaphysica ita attingitur, ut à nulla alia scientia attingatur, & tamen Metaphysica est scientia specialis. Ergo idem dicendum est, de objecto generali justitia Legalis. Vel certè ex eo non convenienter justitia legali esse virtutem specialem: quia bonum communitatis est conditio innexa singulis virtutibus. Sed hoc adhuc non obstat, quominus ad hanc conditionem, ita innexam, specialis aliquis habitus intendat. Quod ipsum probatur. Quia Ratio Entis est etiam innexa singulis objectis scientiarum, & virtutum, &c. Ettamen, hoc non obstante, adhuc, Ens quâ Ens, est objectum specialis scientiæ. Ergo idem in praesenti dicendum. Vel ex eo, quod non haberet speciale suum motivum, & objectum, ex cuius specialitate deducitur virtus specialitas, & hoc non quia attendentia ad Jus boni communis, nulli alteri virtuti convenit.

Solvenda hic sunt Rationes Buridani citatis
à Valentia.

OBJICITUR 1. In oppositum Auctoritas Arist. 5. Eth. II. Hæc iustitia non est pars virtutis, sed integra virtus. Et infrā. Quid verò virtus & iustitia haec differat, ex dictis patet: Vra que enim eadem est.

RESPONDETUR. Quando Arist. dicit iustitiam esse integrum virtutem, & non partem

virtutis, intelligendus est, quod non particulare, seu id, quod non est integrum bonum, respiciat justitia legalis, sed bonum commune seu integrum, solumque ponit, quod formalitas virtutis in formalitate justitiae inclusa, non sit distincta realiter.

OBJICITUR 2. Cum eodem. Relatio operis virtutis ad bonum commune pertinet quoque ad essentiam uniuscujusque virtutis & ita Arist. 4. Eth. c. 6. de Magnifico ait, non enim *Magnificus in suum*, sed *in publicum decus sumptuosus est*. Et 3. Eth. c. 6. similia habet, de forti. Ergo nulla est specialis virtus, quæ prædictum bonum intendat.

RE^{SP}ON^SUM supra; Relationem operis materialem ad bonum commune, omnibus virtutibus esse communem: sunt enim bonum eommunitatis virtuosi Viti; Relatio tamen operis formaliter, propter bonum commune, non est innexa singulis virtutibus: ad quod bonum sic sumptum attendere, sufficit ad specialitatem virtutis.

INSTAT. Si ex eo justitia legalis habet specialitatem virtutis, quia respicit bonum commune quâ tale formaliter, debet etiam dari virtus specialis, quæ respiciat bonum commune domus, dicaturque justitia domestica, quod tamen nemo admittit.

RE^{SP}ON^SET Esparza q. II. ad 2. cum Arist. & S. Thoma: dari talem justitiam. Posset aliter satisficeri huic difficultati; nempe hoc, quod est intendere bonum communitatis, quæ est dominus, quantum ad præfens, ex duplice motivo fieri posset. Imprimis, ex motivo: quia quamvis parva, communitas tamen est, præcisè que attendendo ad formalitatem hujus communitatis, & sic hæc virtus non erit distincta à justitia legali, ut sic. Ratio. Tum quia, universale identificatur pro statu physico particularibus. Ergo & bonum commune ut sic, bono huic communi in particulari, & huic alteri. Ergo, ad eundem habitum utrumque spectabit: sicut ad eundem habitum Physiscum spectat consideratio ut sic Corporis v. g. naturalis, & talis Corporis, ad eundem item habitum Logicum, spectat Logicæ definitio, ut sic, & hæc definitio; & sic de reliquis habitibus. Tum quia, quæcunque difficultas ostendetur in attendendo ad bonum familie, præ difficultate in attendendo ad bonum communitatis, hæc difficultas orietur, non ex ratione formalis communis boni, quâ talis, cum utrobique eademque formalitas reluceat, idemque motivum specificans, sed tota difficultas erit, tenens se ex parte materie. Jam autem difficultas materie non specificat habitus, imò hec artes: hinc eadem statuaria finit ex eera & ligno Mercurium. Tum quia, universaliter, ubi reperitur motivi identitas, ibi est & formalis habitus idem, ut inductio ostendit; & ratio probat, quia illius solius alienas discernit,

Disputatio I.

21

cernit, habitus, ut potè specificativa ratio, habensque se ita ac rationalitas vel rugibilitas, quæ sola distinguunt hominem & leonem. Cum ergo his, ut supponitur, habeatur motivi idem, quia supponitur esse motivum bonum dominus, quatenus commune est, sit, ut sit etiam eadem species. Deinde hoc, quod est attendere bono domini, potest fieri ex motivo ditescendi v.g. providendi in senium, honorem per hoc augendi, &c. similia: & eo casu illi bono communis circumstans parvæ, quæ est domus, non attendit jam iustitia Legalis, sed rationabilis amor sui, & alii similes proportionati habitus.

Objicitur 3. cum eodem. Si non pertinet quicunque virtutem operari ex intentione boni communis, sequeretur posse virtutem male operari, quod est absurdum. Seque lapobatur. Nam si actus alicujus virtutis, puta temperantiae, sit laudabilis secundum alias omnes circumstantias, & malus duntaxat ob defectum circumstantiae finis boni communis, poterit exerceri per temperantiam, si ad eam quidem ea circumstantia non pertinet.

RESPONDE TUR. Quod imprimis suppositio sit impossibilis: quia ratio boni communis, in quantum circumstantiat ipsum actum temperantiae, est innexa omnibus illis circumstantiis, spectantibus ad perfectionem actus. Sed quidquid sit de hoc, directe dici potest. Hoc, quod est actum temperantiae reddi malum ob defectum circumstantiae finis boni communis duplamente contingere potest. Imprimis ob defectum non serendis in illum finem, & ob actum positivæ nolitionis, & contemptus boni communis; posterior hic actus malus est, non quidem ex aliquo referibili in ipsum formale temperantiae, sed ob annexum actum disordinatum, qui est contemptus boni communis. Si autem sit prior defectus; duplamente adhuc contingere poterit. Imprimis, negligendo actum imperare, qui sit intentio boni communis, & tunc ille actus temperantiae non erit malus, sed imperfectus, imperfectione tali, quæ potest contingere etiam circa alias virtutes. Secundo potest contingere ille defectus ex mero dictamine, quod ad temperantiam non spectet intentionem boni communis, quo casu non redditur ille actus malus, quia non facit tunc temperantia contra debitum, cum illa, quæ talis, bonum commune quæ tale non teneatur intendere.

Punctum Difficultatis 3.

An iustitia sit Virtus præstantissima?

EXPLICAT 1. Valent. & Ponit 1. Quod sci-
per iustitia non sit præferanda virtutibus
intellectualibus v.g. Prudentiae, quod item Le-
galis, sit perfectior aliis omnibus virtutibus mo-

ralibus. Ratio, quia habet pro objecto bonum commune, quod præstat cuicunque bono particuliari. Aliam etiam rationem hujus assignat: quia imperat omnibus virtutibus moralibus; sed hoc imperium non attollit illius dignitatem, cæteris paribus: quia ad invicem virtutes habent Jus sese imperandi.

Ponit Rursus Valentia. Misericordiam non esse perfectiorem simpliciter omnibus virtutibus moralibus: Ratioque est, quia misericordia non est formaliter charitas, licet ad eandem revocari possit: ea autem quæ ad aliquid reduci & revocari possunt, non est necesse habere dignitatem ejus, ad quod revocantur; alias cum sanitas pomì sit revocabilis ad sanitatem animalis, deberet habere dignitatem animalis. Quod autem Misericordia non sit formaliter charitas. Ratio est, quia potest alius moveri, non titulo amoris, sed titulo meræ honestatis, inclusæ in subventione miseris: non autem titulo bonitatis, inclusæ in afflictio: ipsique in nobis experimur, alium affectum esse beneficiandi ex amore, & alium beneficiandi, quia miser est, quia sublevatione indigens; titulus autem miseræ hic formaliter spectat ad misericordiam, in quantum misericordia specialis virtus est.

PONIT 2. Pietatem excellentiorem esse iustitiæ particulari. Sed hoc etiam limitatione sui indiget, quia si nomine Pietatis veniat species aliqua iustitiae generalis, sic bene superior erit præ particulari: quia etiam ipsa bonum commune suo modo attenderet. Sed si nomine Pietatis, veniat iustitia, quæ sit iustitia particularis, licet ut dicunt, non rigorosa, sic non excedet principale suum; sicut nec alia revocabilia suum principale excedunt. Et certè laudabilitas tota Pietatis stat: quia est quædam species iustitiae, quamvis non rigorosa. Ergo ipsa iustitia rigorosa, multo erit excellentior: ad eum modum, quo lux imperfecta, hoc est crepusculum expellit tenebras, multò magis expellet lux meridiana.

PONIT 3. Quod Religio sit excellentior iustitiæ: quia objectum cui, nempe Deus, longè est excellentius quam quicunque aliud reperibile in iustitia, sive Legali, sive Particulari.

Concludit tandem Valentia, iustitiam particulararem perfectiorem esse aliis virtutibus moralibus, quæ sunt circa bonum proprium, moderando passiones. Rationem dat. Tum quia, æqualitas ad jus alterius, majorem habet affinitatem cum præstantissima parte hominis, scilicet cum parte rationali, à qua nimis sola potest id objectum percipi: cum tamen virtutes moderatrices passionum habeant objectum sensibile. Tum quia, objectum iustitiae, cum sit bonum alterius, trahit secum communicationem cum altero, in quo resplendet maximè ratio boni. Tum quia, objectum iustitiae ma-

xime

R. P.
TH. MLOD
la. SWSKI
Tom 3. e. 4.
D. VI
6

Tractatus I.

ximè conducit ad bonum commune societatis humanæ, quod existit ex recta habitudine hominum inter ipsos.

Cæterum hæ duæ rationes postremæ, non sunt convictivæ.

Non secunda; quia multæ sunt virtutes trahentes secum communicationem cum altero, quæ tamen non sunt præstantissima virtus, talis est Magnificens: nemo enim sibi, sed alteri Magnificus est. Fortitudo item defendens bonum commune, &c. similia, quæ cum nobilior bonum exponat, nempe ipsam vitam, nobilior deberet esse.

Non est etiam convictiva tertia Ratio: quia societas humana non est quid distinctum realiter ab ipsis hominibus individuis, hinc bonum individuorum, est bonum societatis; & tamen individuum bonum consurgit etiam ex aliis, non ad alterum, virtutibus; consequenter, præcisa ratio boni communis, consurgens ex recta habitudine individuorum inter se, non est prælativa unius virtutis supra alias.

Ex quibus, Inferes. Hanc explicationem valentia, adferre aliqua vera, & aliqua dubia, præcipue in modis probandi intentum.

EXPLICAT Secundo, Esparza. Et, cum supponat justitiam Legalem esse excellentiorem cæteris virtutibus: attendit enim ad bonum commune, quod particularibus præstat, habere quæ eam præminentiam, quam habet finis respectu mediorum; tandem de justitia particulari sic discurrit. Quod justitia particularis sit magis conspicua, magisque plausibilis ex sua natura, quam cæteræ virtutes morales, sive perfectiores, sive imperfectiores sint intrinsecè. Cujus rationem dat: quia aliae virtutes morales consistunt in medio inter duo vitia, quorum alterum excedit, alterum deficit à ratione mediæ. Unde fit, ut medium ipsum appareat defectuosum, cum comparatur ad extremum excedens, appareat verò excedens, cum comparatur ad extremum deficiens. Quapropter uterlibet virtuosus confundit facile virtuosum cum altero virtuoso, difficileque agnoscit virtuosum, ut tam. Quod desumitur ex 2. Eth. c. 8.

Jam autem justitia, est quidem media inter duo extrema vitiosa, non tamen inter duo vitia; atque inde ex comparatione cum utrolibet extremo virtuoso, agnoscit facile potest, cum neutrum ex illis extremis opponatur alteri, sed sola virtus utrius.

Deinde aliae virtutes non consistunt in indivisibili ex parte objecti: contingit enim aliud esse magis, aliud minus liberale, atque ideo unum magis accedere ad alterum ex extremis vitiosis, quam aliud. Unde facile confunditur virtuosus cum virtuoso. Justitia autem consistit in indivisibili ex parte objecti: ideoque omnibus maximè conspicua est. Rursus, estimatio & plausus aliarum virtutum devinctus

est certis nonnisi opportunitatibus, non usque ad eo frequenter occurribus: Fortis enim æstimatur tempore belli, contemnitur tempore pacis. Justitia autem in bello, & pace est necessaria, & æque æstimabilis.

Denique, cum justitia solum tribuat unicuique quod suum est per se ac directè, nullam ex proximo, cui id tribuit gratiarum actionem, aliam vè retributionem, aliam vè retributionem, meretur, præcisè ex natura sui operis. Reliquæ autem virtutes, cum tribuant proximo, quod nondum erat ipsius, movent accipientem ad gratitudinem ac remunerationem. Quare exercitium cæterarum virtutum magis est obnoxium sinistræ opinioni de intentione operantis, turpis lucræ causa &c. Claritudo autem, & plausus proprius virtutis, pendet ex opinione de recta intentione operantis. *Hæc explicatio*

NON SATIS FACIT. Tum quia. Non attendit ad intentum: quia hic non queritur. An justitia sit virtus? quæ facillime possit discerni à non virtutibus, sed est intentio loquendi de excellentiâ illius intrinseca, quam habet, perfectioneque prædicationum exsuperante aliarum virtutum prædicata. Tum quia, quod virtus stans in medio appareat comparatè ad illa extrema vitiosa; si sitres de male judicante intellectu: id in præsenti nihil convincit: quia perverse judicans, malum censebit, etiam restituere alienum. Sicutem res sit de judicante secundum exigentiam objecti? nego quod virtuosus facile confundatur cum vitioso, & si quando aliae virtutes sunt media inter duo vitia, possunt trahi facilè ad alterutrum; cum justitia, per explicantem, sit inter duo extrema vitiosa, cur ad alterutrum facile trahi non poterit? Tum quia, quod adfert, alias virtutes non consistere in indivisibili, si sensu sit, illas habere actus minus & magis heroicis, itemque gradualem suam intensionem, hoc non dejicit, sed auget excellentiâ aliarum virtutum, estque commune ipsi etiam justitia: Si autem sensus sit, alias virtutes non consistere in indivisibili, hoc est, non habere prædicta, in quibus essentialiter stent, qualis indivisibilitas est in omnibus etiam pluralitatem partium admittentibus, inò in ipso decennario v. g. numero; falsum est, quod hoc sensu virtutes non stent in indivisibili. Sicutem hoc sensu stant in indivisibili, cur non æque præstantes erunt, ac justitia? Tum quia, quod fortis tempore pacis, non æque æstimetur, si sensus sit, non æque æstimari debet, falsa est propositio. Sicutem sensus sit, non æque sui exercitium habet, vera est propositio, sed non suadens excellentiam, præ aliis, justitiæ. Ratio. Quia cives malunt tempore belli, ut hic & nunc pugnes, quam ut contractus justitiales celebres: & tamen, hoc minimè obstante, præfertur justitia aliis virtutibus. Tum quia, præcitus etiam hi ciuius, quod justitia exercendæ major fit oportet.

Disputatio I.

23

oportunitas: excellentiam illius non salvat. Nam, imprimis, aliae virtutes comparatae inter se, excedunt se, & non raro haec maximè, quam minima oportunitas, ut actuum heroicorum, actus Martirii, & tamen hic actus præferatur Christo reliquis aetibus. Rursum, sicut in naturalibus, obvia sunt minimæ estimationis; numerusque pretium demit; cur pariter in moralibus idem non dicendum: Imo spectabit hoc ad ordinem naturæ, ut excellentissima rara sint: id quidem, quia excellentissimorum rara principia, hinc ne occasione illæ essent supervacanza, raro à natura debuerunt ordinari.

Insuper actuum ipsorum justitiam aliqui frequentius, alii rarius sunt, numquidne jam hoc solo titulo, illi, qui ordinari sunt, magis erunt illustres? Tum quia. Ultimum punctum attollendi justitiam supra alias virtutes non convincit. Nam quamvis justus faciat, quod debet, reddatque unicuique quod suum est, non minus adhuc laudabilis est, quis enim cum non laudet, si non dirigat restitutionem ad finem virtutum, quia illam v.g. potest dirigere ad captandam gloriam: quis item non laudet justum in circumstantia plurium longè injustorum: si item reddat tempore difficulti, &c. similia; quibus videtur fieri retributio pro actu justitiae. Quod autem non det suum, sed reddat alienum, adhuc dejicit dignitatem virtutis, sicut dejicit dignitatem obsequii, alias ab obligato facti. Si que modus est attollendi virtutes, eò quod faciant non debitum: is etiam erit modus deprimendi justitiam: cum in actu illius intercedat jus, & debitum, neque ab hoc debito absolvat justitia: quod autem hoc ipsum debitum voluntate libera, & æque, ut ita dicam, titulo libertatis, gratuita facit, atque dum ponitur actus v.g. magnificentia, id etiam non attollit dignitatem justitiae, quia sicut aliarum virtutum alias, ex libertate facti, modò sint morales non merentur maximum plausum; ita nec merebitur justitia; præcipue, cum in exhibitione illius actus, maximas partes obtineat æque libera voluntas. Et sicut scriptura laudat probum: quia cum potuisset facere mala, & non fecit: ita vetitissima scriptura laudibus proportionando laudes objectivas aliarum virtutum, haec deberet esse præstantissima, quæ, cum posset non facere, facit, adeoque ponit indebitum. Hinc etiam opera supererogationis attolluntur supra alia opera; justitia autem facit quod debet. Denique sicut actus heroicissimi charitatis per hoc non redditur viiores, quia sunt obnoxii variis interpretationibus, haecque interpretationes sunt contemnendæ à viris cordatis; ita nec subdenter hoc alia virtutes justitiae: quia justitia non est obnoxia variis interpretationibus.

Stando tamen in mente S. Thom. q. 58. a. 12. Explicandum est, quomodo justitia præemi-

neat inter omnes virtutes morales: dicitur morales, ut excludant virtutes, quæ non tam ad nostros mores, inter nos regulandos, spectant, quam versantur circa Deum, vel tanquam objectum, ut in virtutibus Theologicis, vel tanquam finem cui, quomodo circa illum versatur Religio.

Punctum Difficultatis 4.

Suadetur hæc præstantia.

PRÆMITTO 1. Anima nostra, sive identificet sibi suas potentias, sive non, dat nihil minus locum, ut una potentia, vel re, vel formalitate excedat aliam: Et sic indubie, per omnes, potentia intellectiva excedit visivam ocularem, non quidem excessu entitativo, si haec potentiae identificantur; sed excessu formalitatis, oriundæ à diversis connotatis nobilitibus, vel minus nobilibus; & ita connotatum intellectus spiritualis, ad quod dicit ordinem intellectiva, nobilis est præ connotato visionis corporalis, adeoque formalitat, & ponit potentiam intellectivam nobiliorem, præ visiva, quæ etiam entitativè est dignior præ visiva, si sunt distinctæ haec potentiae realiter. Quæ dignitas non solum est inter potentias, quæ intra proximum genus idem non continentur, ut non continentur intellectiva & visiva, sed etiam inter potentias, proximum etiam idem genus participantes, quales sunt, ipsæ potentiae sensitivæ, inter quas potentiam tactivam ignobilissimam appellat Arist. & animalibus etiam imperfectissimis debitum; quodsi dignitas potentiarum potest esse, etiam inter potentias, idem proximum genus participantes, poterit etiam esse inter potentias idem genus quod est appetitus, participantes; & quia possumus appetere aliquid, vel tanquam bonum non nisi rationale, adeoque extra sphæram positum brutorum, vel aliquid commune etiam brutis, idque vel concupiscentia sensualiter, vel irascendo, fit, ut triplex confugat appetitus, rationalis, concupisibilis, irascibilis: quas inter potentias appetitivas nobilissima est appetitiva rationalis; quia etiam nobilissimum objectum, circa quod nobilissimo etiam modo versatur, habet: nempe bonum naturæ rationalis.

PRÆMITTO 2. Quod si inter potentias appetitivas præstantissima est potentia appetitiva rationalis; etiam comprincipia virtuosa, adjuvantia hunc appetitum, debent esse, proportionaliter loquendo, præstantiora comprincipiis virtuosis, adjuvantibus ignobilioribus appetitus, quod ipsum si ulterius explanatur. Res aliqua, quo perfectior & nobilior est, eò perfectiora determinat sibi principia, saltem titulo proportionis, ad quam Deus, & natura attendunt, horrentque tanquam

R. P.
THEMLOD
TOM. 3. c. 4.
D. VI
6

tanquam monstrum, improportiones. Probat hoc Inductio. Nam tribuimus Angelis, quod perfectiores sunt, eò perfectiores & universaliores species, ex solo titulo, quia magis sunt proportionatae: & si non concederentur magis universales, saltem concedi deberent perfectiores in entitate, continentiaque nobiliorum prædicatorum: Anima etiam, quæ præstantissima est, inter formas, præstantissimum comprincipium v. g. intellectum sibi vendicat, imo & ipsa organa totiusque corporis magnificientiem structuram, sibi determinat.

Quorum omnium hæc ulterior, Ratio est: quia primus custos & Auctor proportionis, est Deus, & natura, cui proportioni contravenirentur, si digniori agenti non offerrentur digniora comprincipia. Hinc v. g. dedecet hominem rostrum avis, vel ungula bovis; imo si non haberet vim elevandi comprincipium, hoc ipso non esset illud agens dignius: restringeretur enim in dignitate agendi per comprincipium ignobilius, maluitque natura providere proportionatum comprincipium, quam tum primum suos defectus suppleret; & sicut, si daretur optio animæ, malletne intellectum, an sensum communem ingeniosissimi animalis? vel, malletne Symmetriam pulcherrimæ avis, saltē quoad aliqua? eligeret nonnisi hanc Symmetriam, quam habet: ita natura & Auctor naturæ, quæ tales appetitus præverit, providet illis proportionata principia. Quia autem appetitus rationalis est dignior reliquis, etiam comprincipia illius erunt digniora: consequenter, justitia, quæ est comprincipium virtuosum debitumque nonnisi appetitus rationali, estque in illo tanquam in subjecto, dignior erit.

PRÆMITTO 3. *Institutam, esse nonnisi appetitui rationali debitam, inde convincitur.* Datur proportio inter noscitivum & appetitivum. Hinc appetitus sensitivus non illuminatur in sua cætitate per notitiam rationalem: nam hic nescit delectabilia spiritualia, quæ non est natus appetere appetitus sensitivus: & per notitiam sensualem, non illuminatur appetitus rationalis: quia hic non prosequitur voluptates corporales, ut tales: notitia enim, qua illuminantur animalia ad manducandum scenum, per cognitam illius ad se convenientiam, non excitat, nec excitaret appetitum hominis, ad comedendum idem, sicut de reliquis, quæ ostendunt dari proportionem inter noscitivum & appetitivum. Quod ipsum in hoc ulterius fundatur: quia cum natura intendat semper bonum, etiam conferendo noscitiva principia, idem intendere debuit. Quia vero hæc bona non tantum sunt sensibilia, sed & spiritualia, debuit dari principium in creatura, corpus & Spiritum habente, utriusque boni perceptivum: quia vero perceptio hæc, non tantum perfici debuit tractione boni ad se, quod sit per repræsen-

tionem intentionalem, quæ ponit possessionem objecti intranoscētē: sed etiam perfici debuit, per tractionem, quæ objectum bonum, trahat potentiam ad se, debuerunt esse potentiae trahibiles; & hi sunt appetitus. Et quia bona trahentia non tantum erant sensibilia, sed etiam spiritualia, debuit dari appetitus trahibilis, non solum sensitivus, sed etiam rationalis, ad servandam scilicet proportionem inter noscitivum & appetitivum, ut videlicet noscitive rationali, responderet appetitus rationalis, & noscitive sensitivo, appetitus sensitivus. Quod si datur proportio inter noscitive rationale & appetitum rationalem, id dicitur nonnisi appetitus rationalis velle, quod nonnisi noscitive rationale attingit: in hoc enim, uedictum est, hæc proportio consistit. Cum autem honestatem æquitatis ad ius alterius, nulla alia potentia attingat, præter intellectum: est enim æqualitas illa non objectum sensuum; neque enim est vel colorata, ut percipiat ab oculo; vel sonus, ut audiatur &c. sit, utiliam nonnisi intellectus percipiat: adeoque, ex dicta proportione inter noscitive & appetitivum, debet illam nonnisi appetitus rationalis prosequi.

PRÆMITTO 4. *Quod virtus nata prosequit aliquod bonum, sit virtus ejus potentie animæ, quæ illud bonum prosequitur.* Ratio præmissa est, imprimis inductio. Nam bonum v. g. quod prosequitur Metaphysica, est verum reperibile in ente, quæ ens est, spectatque Metaphysica ad intellectum, non ad voluntatem. E contra Charitas, cum sit nata prosequibontum, quæ tale, virtus est, non intellectus, quæ ad verum attinet, sed voluntatis, cuius est attendere bono, quæ tali. Idem videre est, non tam in habitibus, quæ in habitibus receptis in organis: nam habilitas Cytharislandi recipitur in manu, cuius est bonus, artificioſa tactio Cytharæ, & saltatoria facilitat non manus, sed pedes: cō quod saltus, sit bonus pedum.

Quod ipsum ulterius, in hoc fundatur. Quia regula universalis dividendi virtutes per potentias, debet esse aliqua: cum ergo non sit alia, quam ipsum objectum, illa dicentur virtutes hujus potentiarum, quæ idem objectum cum illa potentia habent. Cumque hæc divisio virtutum, ut sint hujus potius potentiae, quam illius, sit divisio per specificationem virtutum, conditionemque earundem, cum ipsa conditio virtutum & specificatio ab objectis habeatur; etiam ut hæc illius sint potentiae virtutes, ab objecto habebit. Sicut ergo hæc potentia, ut sit hæc potentia, habetur ab objecto: ita ab eodem objecto habebitur, ut hæc virtus, sit hujus potentiarum virtus, cum qua potentia, illa virtus, convenit in objecto. Si autem virtus nata prosequi aliquod bonum, est virtus ejus potentiarum animæ, quæ illud bonum prosequitur, etiam justitia

Disputatio I.

25

justitia erit bonum appetitus rationalis; quia honestatem & qualitatis prosequitur, quam etiam prolequitur, non nisi appetitus rationalis.

PRÆMISITOS. *Virtutem natam prosequi aliquid bonum, non solum esse virtutem eius potentie animae, quae illud prosequitur. Sed etiam in illa potius recipi, illique uniri.* Est quidem certum, quod per nos identificantur potentiae animae: itaque virtus non minus unifetur uni, quam alterum: formaliter tamen dici debet huic potius uniri subiecto, cuius scilicet est formaliter virtus, quam alteri; id que titulo specialis attentione, ad hanc potius formalitatem potentiae, quamad aliam.

Quod autem absolutè debeat recipi in subiecto, cuius est virtus, probat & ratio allata de habilitibus organorum, quæ recipiuntur tanquam in subjectis, in organis, quorum sunt virtus, & insuper hæc ratio: quia cum casu non concurrent, debent secum uniri; quæ unio non potest ad præsens commodiora alia haberis, quam unio in eodem subiecto. Cumque in eo accidentia connaturaliter recipientur subiecto, ex quo educuntur; sit, ut idem & virtutibus contingere debeat. Quia vero virtutes educuntur e potentia ejus potentiae, cuius illæ sunt bonum, sit, ut in eadem potentia recipi debeat, esseque in illa tanquam in subiecto. His præmissis.

EXPLICATUR jam. Cur justitia sit nobilior ceteris virtutibus moralibus? Quia scilicet est in nobiliore parte animæ. Hoc ipsum sic proponendum.

Inter potentias animæ, est una nobilior altera: hinc & inter potentias appetitivas boni, una erit nobilior altera; præcedetque reliqua potentia appetitiva rationalis, ut dixi Præmisso Primo. Si autem potentia appetitiva rationalis, nobilior est reliquis, etiam comprincipia illius virtuosa sunt nobiliora aliis, ut dixi Præmisso Secundo. Quia vero justitia, est comprincipium virtuosum, debetur non nisi potentia appetitiva rationali, ut dixi Præmisso Tertio. Hinc justitia erit virtus non nisi potentia appetitiva rationalis, ut dixi Præmisso Quarto. In eaque subiectabitur, ut dixi Præmisso Quinto. Habetque ex eo dignitatem: quia est virtus nobilioris potentiae præ alii virtutibus; in ea que subiectatur.

E tex hac ratione concluditur, quod justitia sit virtus præstantior quamcumque alia morali h. e. fortitudine & temperantia, aliisque virtutibus ad illas revocabilibus.

Restaret tamen adhuc querere, an non sit præstantior etiam illis virtutibus, quæ recipiuntur in appetitu rationali, qualis est v. g. Obedientia: His illam esse præstantiorem potest deduci, ex S. Thom. cit. qui alium fontem præminentie justitiae supra alias virtutes indicat sic. *Seconda, inquit, Ratio sumitur ex parte objecti. Nam*

alia virtutes laudantur secundum bonum ipsius virtutis. *In justitia autem laudatur secundum quod, virtutus, ad alium se bene habet.* Quæ ratio S. Thomæ.

EXPLICARI sic potest. Sicut contraria penes se posita magis eluescunt: sic & virtutes, iliaque magis præeminere censenda erit, quæ alii ususui, obligatione, adeoque imperativa vi, ut illa potius in actum veniat, præcellit: quæ illius vis imperativa, sicut & omnis alia dignitas, derivatur ex objecto. Quia vero si concurrat occasio exercendæ v. g. magnificientia, liberalitatis, misericordiae, obedientia &c. concurrat etiam occasio hæc & nunc exercendæ justitiae, illa titulus sui objecti prædominatur, in usumque venire debet; tumque solum alia virtutes præponuntur justitiae particulari, cum fulciuntur adjutorio in necessitatis se in illas virtutes justitiae alicujus legalis, quæ præminet particulari. Quo posito, dividantur jam virtutes etiam receptæ in appetitu rationali: vel enim se extendunt ad alterum? vel non? si non extendunt, non possunt esse excellentiores justitia extende nte se ad alterum: quia per Arist. apud eundem S. Thomam *virtus est potentia beneficiva*, adeoque quod magis participat de beneficiva, præcellit inter virtutes, quia autem justitia est talis, non autem illæ virtutes, quæ non nisi ipsius subiecti bonum sunt; sit, ut illis præmineat justitia.

Deinde, quia justitia, non tantum ex generica ratione, ad fert honestatem operanti, sed etiam alteri, complendo, scilicet, fortunam alterius, estque honesta etiam alteri; sit, ut conjungente se in una virtute justitiae, duplice honestate præmineat aliis. Quodsi illæ virtutes sunt etiam ad alterum, præminebit adhuc illius justitia. Imprimis: quia objectum illius semper vincet objectum aliarum virtutum, imperabitque, præ aliis, sui usum. Deinde, quia, si honestatem habent illæ virtutes, ex eo quod sint ad alterum, maximam honestatem illa virtus habebit, ad quam illæ aliae revocantur: semper enim id, ad quod reliqua revocantur, dominatum habet, & reliqua sunt illius partes subiectivæ, vel potestativæ: quia uterque titulus subdit illas, principali virtuti: quia vero, virtutes ad alterum, revocantur omnes ad justitiam, tanquam ad aliquid principale, sit, ut, illa omnibus virtutibus præmineat.

Hinc justitia erit virtus non nisi potentia appetitiva rationalis, ut dixi Præmisso Quarto. In eaque subiectabitur, ut dixi Præmisso Quinto. Habetque ex eo dignitatem: quia est virtus nobilioris potentiae præ alii virtutibus; in ea que subiectatur.

Solvuntur Objectiones.

DICENS I. Liberalitas, & facit hoc, quod justitia, & superaddit plus: nam quilibet dat ex proprio, nec sibi proprium retinet, multò magis non retinebit alienum. Ergo, liberalitas præstantior virtus est, ut potè includens & suam, & justitiae perfectionem: Quod

* G autem

R. P.
THOMAS
H. M. L.
TOM. 3. E. 4.
D. VI
6

autem dictum est de liberalitate, idem proportionaliter dici debet de magnificentia.

R E S P O N D E T U R. Cumulative cùm justitia sumptam liberalitatem, esse meliorem p̄r̄e jūstitia, sed non solam: quia si occurrat utriusque occasio, magis obligat justitia generalis. Item non respicit majus bonum, quam sit bonum communitatis item videtur; Liberalitas recipi in concupiscibili, utpote moderativa passionis, • circa usum, & possessionem pecuniae, cum justitia recipiatur in appetitu rationali.

D I C E S 2. Cum Buridano, apud Valent. Nobilis est bonum proprium; quam alienum. Ergo, & virtutes, versantes circa bonum proprium, nobiliores sunt p̄r̄e virtutibus versantibus circa bonum alienum. Justitia autem, ex Arist. bonum alienum est. Anteced. probatur. Quia ordinata charitas incipit à seipso. Deinde, si bonum proprium non esset melius p̄r̄e alieno, natura non ordinasset ita inclinations, ut potius inclinentur ad bonum proprium, quam alienum.

R E S P O N D E T Valent. quod probet objectio, quoad aliquid illas virtutes meliores esse justitiā. Sed explicandum fuisset; cur illud, quoad aliquid, non sit principale in illis virtutibus? & si principale illarum virtutum, superat justitiam, hoc ipso illae virtutes meliores erunt: quia ad exaltandas virtutes, non est necesse, ut omnes illius formalitates meliores sint, sed ut principalis sit melior, sicutque denominatio à principali. Hinc aliter paulo

R E S P O N D E T Esparza cit. quòd etiam justitia perficiat subjectum, sicutque bonum ejusdem. Et, addit, quod intentio naturæ, & ordo charitatis, præferat bonum cuiusque proprium coniunctum cùm bono alterius, illi bono, quod est limitatum ad suum subjectum, nec est diffusivum sui: nam bonitas sui diffusiva, est virtus divina.

Est & aliud modus, satisfaciendi huic Argumento. Negando omne bonum proprium, esse melius alieno. Unde gloria Dei, quæ est bonum extrinsecum Dei, melior est bono proprio creature. Magnitudo ergo boni penitanda est, ex ipsa conditione boni, si accedat prædicatum proprii, ceteris paribus, melius erit proprium. Ordo autem charitatis incipit à seipso, si cetera sint paria. Unde tenetur privatus sua vitæ non parcere, ut tueatur vitam Principis. Jam autem in præsenti, melius est bonum redere alienum, non necessariis detractis, quam habeat superflua.

D I C E S 3. Multæ virtutes versantur circa difficultius, p̄r̄e justitia. Ergo meliores sunt.

R E S P O N D E T U R. Illarum melioritas attendi debet ex subjecto, in quo recipiuntur: & ex objecto; non ex difficultatibus vincendis: quia ipsa victoria difficultatum, habet se per modum materialis in virtutibus; excellentia autem at-

tenditur p̄enes formale. In artificiis enim ignobilior est, v. g. Faber, p̄r̄e Aurifabro, quamvis prior, plura laboret.

D I C E S 4. Plus plauditur fortis & liberalis, quam justo.

R E S P O N D E T U R. Id sit plausu, inquit Esparza, gratificante & obsequente propter acceptum beneficium; sed non laude magnificente & morali, quæ ex dignitate motivi virtutis desumitur, aliisque, de quibus supra.

D I C E S 5. Ex istis quæ sibi opponit Esparza. Ea quæ sunt magis necessaria, magis obvia sunt, & hoc ipso viliora, sic aqua magis indigemus magisque abundamus, quam vino; terra quam gemmis, &c. Ergo & inter virtutes ea est minus perfecta, quæ est magis necessaria, reperiaturque in pluribus: talis autem est justitia etiam pernos.

R E S P O N D E T U R. In primis lucem cū valde necessariam maximè obviam, & tamen lux est quid præstantius, quibuscunque luminibus lapidum, rariss. Nihil est magis necessarium & magis obvium, quam ipsius præsentia Dei, quæ non vilificatur per hoc. Deinde si spectetur præcisè ratio obvii, per hoc potest utcunque ratio excellentiæ obtundi potius, quam diminui; sed si principale alicuius prædicatum excellentiam importet, illud excellentius erit, quod in præsenti contingit: quia prædicatum illud, quod & ratione subjecti, & ratione objecti competit justitiæ, est que in illa principale, supplet in reliquis alios defectus. Ex his autem.

C O L L I G E S. Quod genus in definitione justitiae ponendum, sit, virtus moralis ad alterum.

QUÆSTIO II.

Quid pro Differentia dicat Justitia.

IN differentiis Logicis sunt aliae differentiæ subalternae, aliae specificæ. Subalterna in aliquo quidem genere faciliunt quidem differre; sed ita, ut sint ratio conveniendi, etiam essentialiter, aliis. Et ita vegetativum distinguit quidem hominem à lapide, sed non distinguit à flore, à quo essentialiter differt homo. Sed specificæ differentiæ sunt tales, ut faciant ita differre, ut non sint ratio conveniendi essentialiter aliis: & ita rationalitas est ratio differendi talis, ut in illa non convenient cetera animalia, quæ sunt bruta. Consimile quid contingit in differentiis scientiarum, virtutum, &c. ipsorum enim habituum differentia, petitur ab objectis, in quibus ratio materialis habet se, sicut differentia subalterna: Ratio autem formalis habet se, sicut differentia specifica: sicut enim differentia subalterna, est quidem ratio differendi ab aliquibus, ita tamen, ut sit ratio conveniendi etiam

Disputatio I.

27

etiam essentialiter aliis, ita per objectum materiale, differt quidem habitus ab aliquibus, quæ illam rationem materialem, nullo modo attin-
gunt: quia tamen illam rationem alii aliqui es-
sentialiter distincti habitus delibant, fit, ut se
habeat objectum materiale, sicut differentia
subalterna; ipsum autem formale ultimò di-
stinctivum, habet se sicut differentia specifica
Logica. Nam objectum formale, ita est Ratio
differendi ab aliis, ut non sit ratio conveniendi,
nisi individualiter distinctis habitibus. De utra-
que hac differentia, petibili ab objecto, agen-
dum hic erit.

DIFFICULTAS I.

De Objecto Materiali Iustitiae.

A Crio æqualis Juri alterius, non est mate-
riale objectum iustitiae, cum habeat ipsum
formale coniunctum. Nec item volitio resti-
tuendi, emendi, &c. quia & ipsa restitutio,
emptio, sunt materiale objectum, cur ergo illud
restringetur ad solas volitiones? Sed insuper
fit.

Punctum Difficultatis I.

An Materiale Objectum Iustitiae, sint Passiones?

A Ffirmat Buridanus 5. Eth. q. 1. & noster
A Valq. l. 2. d. 8. c. 3. Negant communiter
alii, Difinitius, & explicatius Valentia cit. Tan-
ner, post illosque Esparza q. 10.

DICENDUM est. Objectum iustitiae materiale,
non esse Passiones.

PROBATUR 1. Aut. Nam Imprimis Arist.
7. Eth. cap. 2. *Docet iustitiam particularem, habe-
re pro objecto ea, quæ pertinent ad communicatio-
num vite.* Nemo autem passionibus communi-
cavit cum alio. Ibidemque facit divisionem
iustitiae particularis secundum actionem distri-
buendi, commutandi; quam appellat ibi Arist.
sub fine, *iustitiam in commercio.* Si autem
attendit iustitia etiam ad passiones, quæ tales,
secundum passiones vel unicam divisionem ha-
buerit. Deinde idem superius, hoc est, 2. E-
thic. cap. 6. cum posuerit discursum de medio
rei, & medio rationis, enuntiat universaliter de
virtute, efficitur inquit, *procul dubio, ut ea medi-
ejectrix, & collimatoris sit,* de morali loquor:
hæc enim circa affectus & actiones versatur.
Ubi dividit Arist. virtutem moralem; in mora-
lem versantem circa affectus, &, in moralem,
versantem circa actiones. Ergo debet dari
specialiter versans circa actiones, hæc ergo erit
iustitia distincta à versantibus circa affectus. Et
licet immediate non exemplificet virtutem ver-
santem circa actiones; inferius tamen hoc facit.

Ubi condistinguens actiones ab effectibus, sub
nomine actionum ponit non nisi iustitias.
Item actiones, inquit, *ut adulterium, furtum, ho-
mocidium;* Et inferius cap. 7. dicit se de iustitia
alibi tractaturum, *de iustitia inquit, quoque quia
non simpliciter dicitur, posse distinguemus,* quasi
rejiciens divisionem virtutis circa actiones ver-
santis in inferius dicenda. Accedit Auctoritas S. Thom. qui expressè art. 9. negat iustitiam
versari circa passiones.

PROBATUR 2. ratione. Cujus fundamen-
tum habetur in S. Thoma citato in corpore art.
verba illius sunt. *Cum homo per Passiones inte-
riorum non ordinetur immediatè ad alterum, non por-
est circa ea esse iustitia, qua homo ordinatur ad alte-
rum.* Quæ ratio illius sic proponitur.

Si iustitiae objectum materiale essent passio-
nes, iustitia non esset virtus ad alterum. Sed
est virtus ad alterum. Ergo. Minor constat
ex dictis supra. Major autem probatur. Tum
quia. Ipsiæ passiones non sunt ad alterum: sunt
enim aliquæ actiones non ad alterum, aliæ ad
alterum; nullæ autem aliæ non ad alterum, nisi
passiones, quæ enim aliæ: Tum quia. Impos-
sibili omni alia creatura rationali, adhuc per ira-
scibilem moveretur homo ad domandas bestias
insidiantes, & famescens appetere cibum. Er-
go, appetit concupisibilem & irascibilem, non
esse essentialiter ad alterum; adeoque nec pas-
siones, quæ sunt actus priorum.

PROBATUR 3. Si objectum iustitiae mate-
riale essent passiones, versaretur iustitia circa
sensibile: passiones enim sunt sensibilium, ut
suppono ex aliis materiis. Sed iustitia non ver-
satur circa sensibile: nescio enim, quem sensum
moveat honestas inclusa in æqualitate ad jus
alterius.

OBJICIT 1. Citat Vasq. Omnis virtus mor-
alis circa actiones secundum seipsum, & circa
moderandos affectus passionum versatur. Quod
ipsum probat. Quia ita versantur etiam forti-
tudo & temperantia, versantur enim etiam cir-
ca amorem suarum honestatum.

RESPONDETUR. Negando Antecedens:
Fortitudo autem & temperantia, licet versan-
tur circa passiones, parum refert: quia non sunt
virtutes ad alterum, secus iustitiam. Dici etiam
potest. Omnem virtutem moralē versari
circa moderationem passionum, vel imperati-
vè, vel formaliter; imperat autem etiam iusti-
tia moderationem passionum.

OBJICIT 2. Idem. Iustitia & partes illius
subjectivæ, & potestativæ, non solum circa a-
ctus, & opera sunt; sed etiam ipsos affectus
contrarios passionum moderantur. Et ita pas-
sio iræ, movere solet ad iustitiam, quam mo-
deratur iustitia, & nimius amor pecuniarum ex-
citat ad rapinam, quod moderari debet ju-
stitia.

*C 2 RESPO-

R. P.
TH. MLOD
ia ROMISKI
TOM. 3. e. 14.
D. VI
6

Tractatus I.

R E S P O N D E T U R Communiter. Negando, quod justitia elicitivè moderetur iram; vel nimum amorem pecuniae; sed solum imperative; elicitivè autem liberalitas, moderaturve amorem pecuniae, &c.

I N S T A T 1. Vsq. Si nimium amorem pecuniae, ne committatur injustitia, moderatur liberalitas; idem omnino sequitur incommodum. Nam liberalitas est pars potestativa justitiae: quia est ad alterum, & ita non debet versari circa passiones; sed circa operationes; ut de omnibus partibus justitiae dicit S. Thomas.

R E S P O N D E T U R. Supponendo ex doctrina S. Thomae 22. q. 118. quod Avaritia importet immoderantiam aliquam circa dvitias dupliciter. Uno modo immediatè circa ipsam acceptiōnem, & conservationem dvitiarum, in quantum scilicet, aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena surripiendo, vel retinendo: & sic opponitur justitiae. Alio modo importat immoderantiam circa interiores affectiones dvitiarum; puta, cum quis nimis amat, vel desiderat dvitias, aut nimis delectatur in iis, etiam non litarere aliena: & hoc modo Avaritia opponitur liberalitati; ipsa autem liberalitas ex eodem S. Thoma q. 117. a. 6. in Corpore, dupliciter adhuc spectari potest. Primo secundum id, ad quod per se tendit: scilicet, ad ordinandam propriam affectionem circa possessionem pecuniarum, & usum. Secundo, potest spectari liberalitas secundum id, secundum quod ordinatur ad aliquod bonum ex consequenti: quia scilicet, si homo non est amatus pecuniae, sequitur, quod de facilis utatur ea, & ad seipsum, & ad utilitatem aliorum. Quia doctrina S. Thomae supposita.

R E S P O N D E T U R. Quod liberalitas secundum id, quod ex consequenti importat, sit pars potestativa justitiae: si que est virtus ad alterum, versaturque circa operationes, licet secundum id, quod dicit per se primo, & ad quod, vel maxime in omni virtute attendendum est, versetur circa passiones: quia circa temperandum nimium amorem habendi.

I N S T A T 2. Vsq. Illum amorem nimium pecuniae debet moderari non liberalitas, sed justitia: siquidem sine affectu liberalitatis potest servare justitiam, & ad hunc finem nimium pecuniae amorem moderari.

R E S P O N D E T U R. Sine affectu liberalitatis, quam ex consequenti importat liberalitas, potest esse justitia, sed non sine affectu, quem primo per se intendit liberalitas: qui est moderatus aper se amor pecuniae: fine quo, in circumstantia, trahentis amoris in oppositum, esse non potest justitia; moderando illum amorem, non eliciti ve, sed imperativè.

I N S T A T 3. Nulla est virtus, quae non habeat opus bonum, quod per se respiciat: quomodo

ergo non omnes virtutes erunt circa actiones, sed aliquæ circa Passiones?

R E S P O N D E T U R. Omhem virtutem esse circa actionem, per actionem intelligendo etiam refectionem eorum affectuum, qui nobis cum brutis communes sunt, sed non omnis virtus, erit circa actionem, nomine actionis intelligendo moderationem motuum voluntatis, competentium nonnisi appetitui, prout rationalis est.

Quodsi dantur virtutes, quæ versantur nonnisi circa moderationem talium motuum, debentur hoc ipso virtutes, quæ non versantur circa passiones.

O B J I C I T 3. Vsq. Auctoritatem Arist. ex 2. Eth. c. 3. *Moralis namque virtus circa voluptates, doloresque versatur.* Quod autem non agat ibi Arist. de voluptate & dolore consequenti, quæ se habeant per modum effectus, ex antecedentibus colligitur. *Ob voluntatem enim res, inquit, improbas agimus, ob dolorem verores poshabemus honestas.*

R E S P O N D E T U R. Duplices esse tristitias & voluptates. Quasdam quidem, quæ passiones sunt, versanturque circa sensibilitatem; circa has si versaretur omnis virtus, hoc ipso omnis virtus versaretur, circa voluptates & tristitias; sed nego circa sic sumptuas voluptates & tristitias debere versari omnem virtutem: cum expressè Arist. 2. Eth. c. 7. Fortitudini assignet projecto timores & audacias, non autem voluptates & tristitias, quas assignat temperantia. Aliæ autem sunt tristitiae & voluptates innexæ honestis actionibus, licet ad illarum honestatem, non nisi appetitus intellectualis se extendere possit. Hanc voluntatem expressit Philosoph. i. Eth. cap. 8. *Non est justus, qui non gaudet iustis operationibus, quæ ipsa duo, licet sint rationis effectus consequens operationem moralem; possunt tamen praेire in intentione, movereque suo modo, ad positionem moralis actionis.* Sed inde non sequitur, omnem virtutem moralem, versari circa passiones.

Direxte ergo ad Arist. dici potest. Omneni virtutem moralē versari, vel circa primi generis, vel circa secundi generis voluptates & justitias. Sed versando circa has secundi generis, non sequitur quod versetur circa passiones. Quod autem hujus secundi generis admiserit Arist. voluptates, colligitur ex 1. Eth. c. 8. Praeterea, si virtutes sunt circa actiones atque effectus, omnem vero affectum & actionem, voluptas sequitur aut dolor: Virtus ob id ipsum circa voluptates doloresque versatur.

Alia Methodo, Respondebit citatus Valentia. Quod omnis virtus versetur circa voluptates & tristitias, non tanquam circa materiam propriam, redigendo illas ad mediocritatem, sed eas

Disputatio I.

29

cas vincendo, tanquam impedimenta sui
rectioperis, quod præstare potest per alias à se
virtutes.

Sub finem attingenda adhuc est doctrina
Valq; quam habet, d. 85, n. 19. qui ait. Quamvis justitia sit ad alterum, & respiciat bonum ad
alterum, secundum rationem specificam illius,
hoc non obstat, quo minus secundum eandem
peculiarem & specificam rationem, respiciat
aliquam passionem quam moderetur. Sed huic
doctrine per hoc principium satisficeri potest.
Quia quæ cunctæ est ratio & taxa, quæ ostendat
multiplicari virtutes, eadem ostendet non
posse includi intra eandem virtutem moralem
moderationem passionis, directè à se ponen-
dam, & prosecutionem honestatis, nihil sensi-
bile includentis.

Punctum Difficultatis 2.

Quoniam si Objectum materiale Iustitiae?

Item interdum pro codem sumuntur, Actio
& Operatio, quod etiam notant Auctores
ad Eth. c. 6. Unde & in communione, bene
dicitur, dari actiones immanentes, & dari ope-
rations immanentes, interdum tamen non su-
muntur pro codem: dicimus enim tres v. g. ope-
rations intellectus, sunt objectum Logicæ, &
non dicimus tres actiones. Cæterum pro præ-
senti operatio & actio externa, pro codem su-
muntur. Sicut enim operatio, ex vivoci vi-
detur aliquid operari, & elaborare extra se, ita
& actio externa; quæ ideo appellatur actio ex-
terna; quia ordinatur ad alterum; alter autem,
externum est quid. Unde actio externa est,
per quam venitur in communionem vitæ, hoc
est, v. g. restitutio, traditio, emptio, &c. Hoc
posito

DICENDUM est. Actiones externas esse ob-
jectum materiale proximum iustitiae. Conclusio
continet plures partes. Primam, quod actiones
externæ sunt objectum. Secundam, quod
materiale. Tertiam, quod proximum.

Quoad Primam Partem. Probatur. Auct.
S. Thomæ hic q. 58. a. 8. quæ respicit Auctoritatem
Arist. s. Eth. 1. Ubiagens de justitia par-
ticulari, ejusque speciebus, meminit æquiva-
lenter actionum externalium: quia meminit
actionum, quibus venitur in communionem vi-
tae. Unde dicit, *Institutiones particularis, juris que-
tus, quod ad ipsam attinet, una species est, quia in
distributionibus aut honoris, aut pecuniarum, aut
alterarum rerum consistit &c.* Altera quæ in com-
muni hominum versatur.

PROBatur 2. Ratione desumpta ex S.
Thomæ citato. Vera est hæc propositio. Omne
rectificabile per rationem, est objectum virtutis
moralis, ut docet Arist. 2. Eth. c. 2. & 6.
Ergo & aliquod rectificabile est objectum vir-

tutis moralis. Sed actiones externæ sunt rectifi-
cables per rationem. Ergo & illæ sunt ob-
jectum virtutis moralis, sed, non fortitudinis,
nec temperantiae: quia haec versantur circa pas-
siones. Ergo, sunt objectum iustitiae. Hæc ra-
tio S. Thomæ, proponit aliter potest.

Actio externa, quæ venitur in communio-
nem vitæ, qualis est datio, acceptio, emptio,
venditio &c. similes, possunt bene vel male fieri, ut probat experientia. Fundaturque ulte-
rius hæc propositio in hoc principio: Quia, si
haec actiones semper bene fierent, non daretur
furtum, seu acceptio mala. Si etiam semper male
fierent, restituens alienum, operaretur contra
rationem, vel etiam is, qui non raperet alienum.
Ergo eadem actiones possunt esse objectum alicuius virtutis. Probatur Conf. Quia si actiones,
quæ possunt bene vel male fieri, non essent
objectum alicuius virtutis: hoc ipso non possent
bene fieri: si enim bene fierent, bonum redderent
facientes, sed si non essent objectum alicuius
virtutis, bonum non redderent facientes:
quia definitivæ virtus est, quæ bonum red-
dit facientes. Ergo, si non essent objectum alicuius
virtutis, bonum non redderent facientes;
aliás daretur ratio formalis virtutis sine
virtute. Quod si haec actiones sunt objectum
alicuius virtutis. Ergo, sunt vel maximè ob-
jectum iustitiae: quia fortitudo, & temperantia,
nec emit, nec vendit. Confirmatur. Tum
quia. Actio, quæ potest bene fieri, cum posset
fieri male, est objectum alicuius virtutis. Actio
externa potest benè fieri, cum posset fieri male.
Ergo, actio externa est objectum alicuius vir-
tutis, Minor probatur; quia si actio externa
non posset benè fieri. Ergo, ex contradictoriis
utrumque esset falsum: falsa enim esset hæc pro-
positio, furans benè facit, est enim dissolum
naturæ rationali furari; falsa etiam esset hæc
propositio. Non furans benè facit: quia actio
externa quæ venitur in communionem vitæ,
qualis est actio non furandi, bonitatem nullam
participat, nec benè fieri potest. Major proba-
tur. Tum quia. Vel per virtutem posset benè
fieri, vel sine virtute; si per virtutem, habetur in-
tentum; si sine virtute. Ergo, & sine virtute &
cum virtute: sine virtute ut tu dicas, cum virtute,
ut probo. Quia cum virtute fieri nihil aliud est,
quam benè fieri, ut ostendit inductio
fundata in hoc principio: Quia fieri virtuosè,
non est aliquid realiter super additum ipsi benè
fieri. Ergo, si benè fit sine virtute, bene fit cum
virtute. Cum virtus sit ipsum benè fieri, quod
tunc habetur. Et hæc dicta sunt ad pro-
bandum, quod actio externa sit objectum alicuius
virtutis. Postea, subsumitur: Sed non
est objectum alicuius alias virtutis moralis car-
dinalis, quam iustitiae, quod probatur. Quia sola
iustitia est virtus ad alterum, ut supra probatum.
Ergo. Actio externa, solius illius, erit objectum:

* C 3 quia

R. P.
TH. MLOD
13. D. WESKI
TOM 3. c. 4.
D. V
6

quia ipsa etiam dicit, esse ad alterum. Idem Subsumptum induc^{tio} virtutum reliquarum ostendit, quae non attendunt ad actiones externas, ut commutations venditiones &c. similia.

PROBatur 3. Passiones sunt objectum virtutis. Ergo & actiones externae erunt objectum virtutis. Sed non alius, quam justitia. Ergo. Antecedens probatur: quia alias nulla esset fortitudo, nulla temperantia: non haberent enim materiam, cui conjungerent suum formale; ne moque bene suis Passionibus uteretur: quia hoc ipso illæ essent objectum materiale virtutis: sicut operationes intellectus, quia illis conjungitur formale Logicæ, sunt objectum materiale Logicæ. Consequenter ijsdem rationibus probatur. Quia alias nulla esset virtus versans circa actiones externas: non enim essent materia, cui conjungeret suum formale aliqua virtus; nemoque bonam ponet actionem externam; alias hoc ipso essent illæ actiones objectum virtutis. Non potest autem dici neminem posse ponere actionem externam bonam, alias utraque contradictionis moralis falsa esset, ut urgebatur supra; reddensque alienum, non operaretur bene. Subsumptum principale probatur. Quia universali divisione, motus voluntatis dividuntur in motus ad alterum, & in motus in ordine ad se. Ergo cum motus in ordine ad se, sive illi sint irascibilis, sive concupisibilis sint objectum materiale fortitudinis & temperantiae; motus ad alterum seu actiones externæ, debent spectare ad justitiam: quia nulla est jam alia reperibilis cardinalis virtus spectans ad voluntatem, præter justitiam; & tamen ex probatis etiam illæ debent spectare ad aliquam virtutem.

Quoad secundam Partem. Quod scilicet, actiones externæ, sint objectum materiale justitiae, probatur, ex proportione ad materiam, ob quam aliquid objectum dicitur materiale. Quod enim se habet sicut materia, id, est indifferens, ut fiat bene vel male; sicut materia est indifferens ad formas; & sicut sine forma non est constitutum ens in certa specie sibi debita; ita & materiale objectum justitiae sine formalis justitiae non est in specie sibi debita. Jam autem, ut dixi, sic se habet actio externa.

Quoad Tertiam Partem. Quod scilicet, actiones externæ sint objectum immediatum. Ratio est; quia nullum potest immediatus assignari objectum, vel enim hoc esset actus imperans ipsam actionem externam, & hoc non. Tum quia, objectum materiale justitiae debet in omni actione justitiali reperiri, quomodo enim esset sine sua materia: sicut alia etiam requirentia materiam, sine sua materia esse non possunt. Et tamen ponitur s^epe actio externa, sine ullo actu imperato, per solum directum. Tum quia. Hic queritur de materiali objecto necessario, & indispensabiliter requisito; tales autem non sunt actus illi imperantes: nam impossibili omni

imperio, solis venditionibus, & emptionibus, commutationibus, restitutionibus &c. sufficienter veniretur in communionem vitæ, & qualitasque conjungi illis posset requista ad justitiam. Non etiam objectum materiale immediatus justitiae, sunt ipsa res. Tum quia. In habitibus, qui non relinquunt post se opus, & ad motus attendunt, operationes ipsæ, sunt objectum immediatum, mediatum verò objecta operationum. Sic v.g. Prudentia immediate attendit ad operationes secundum rectæ rationis dictamen hic & nunc ponibile; mediatè autem non nisi ad objecta illarum operationum. Fortitudo immediate attendit ad resistentiam adversis, mediatè autem ad ipsa adversa. Logica attendit ad operationes intellectus, mediatè ad res ipsas, & sic de reliquis. Dixi, de habitibus non relinquentibus post se opus. Nam futoria immediate fortassis circa calceum versatur, & non nisi per attributionem circa factiones suendi. Tum quia, non nisi mediantibus actionibus externis, versatur justitia circa ipsas res: non nisi enim mediante necessario datione centum, venitur per centum in communionem vitæ. Ergo appetat immediatus ipsas actiones, esse objectum ejusdem.

Tum quia. Illud est immediatum objectum, cui conjungi potest immediate ratio formalis justitiae. Sed tales sunt actiones externæ: quia ante positionem ipsarummet rerum, jam ipsa datio, pro illo priori saltem rationis, habet formale justitiae.

Cum hoc tamen stat, quod etiam res ipsæ sit objectum, saltem remotum, justitiae. Ratio. Quia actio externa habet connexionem cum ipsis rebus. Ergonon poterit attingi, quin etiam suo modo attingatur ipsa res; & sic non potest habere quisquam volitionem reddendi equi, nisi ipsummet attingendo equum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Bejicitur 1. Volitio potius actionis externæ est objectum justitiae. Ergo, non actio externa. Anteced. probatur. Quia imprimis etiam volitio illa potest participare formale justitiae, haberique ex motivo honestatis justitialis. Ex altera parte per prius ponitur volitio actionis externæ, quam actio externa. Accedit, quod talis sit antecedens, quā antecedit volitio ipsam actionem externam; ut videatur sola formaliter posse primò per se participare honestatem justitiae. Quod probatur. Quia honestas primò per se justitiae, est honestas libera; sola autem volitio actionis externæ, est libera: quia sola est imperans; actus autem imperatus, non habet primò per se libertatem, est enim liber, ex suppositione imperii liberi. Ergo, nec primo per se honestatem.

RESPON-

Disputatio I.

31

RESPONDETUR Negando Antecedens. Probationes ex dictis solvuntur. Quia scilicet voluntio illa, licet possit participare honestatem iustitiae, & ex eo sit objectum iustitiae: quia tamen in illa non sicutur, sed ordinatur ad actionem externam, ideo illa potius erit objectum iustitiae; præcipue, cum non tam attendatur ad applicativa, quam ad id, ad quod fit applicatio. Volitus autem illa applicat ad actionem externam. Et sicut v.g. in poenitentia, volitus imperans actum poenitendi, non primo per se intenditur, sed ipsa poenitentia; volitus adificandi non primo per se intenditur, sed adificatio; & sic de ceteris. Ita & in praesenti, primo per se intendetur actione externa. Et certe posse impossibile esse volitionem realem distinctionem ab ipsa actione externa, quid deerit iustitia, ut non possit formare venditiones, communiationes &c. apparet ergo, non nisi reductivè hoc spectare ad iustitiam. Actione etiam externa est per se libera, non hoc sensu, quasi non ex suppositione imperii sit libera, sed hoc sensu: quia per se non est ullo modo necessitata. Deinde non est necesse semper rationem pro voluntate acceptam, habere rationem actus imperati, consequenter poterit esse per se, immediata, sine ulla alia suppositione libera.

OBJCITUR 2. Res porius sunt objectum materiales: quia ipsa dicit ordinem, & neminem cum rebus, quæ dantur, in hisque ultimo conquiscitur.

RESPONDETUR. Non sequitur pecuniam v.g. aquæ primo immediatè esse objectum iustitiae. Ratio, quia in assignando objecto iustitiae, non tantum est attendendum an aquæ primo utrumq; respondeat, sed primariò ad hoc attendendum est, an aquæ primo & immediatè participet, non dico æqualitatem, sed honestatem æqualitatis, virtus enim moralis, non ad æqualitatem pœnitentie physicam, sed ad æqualitatem moralem, adeoque involventem in se honestatem attendit. Honestatem autem res ipsæ non participant. Ceterum ad res magis attendit iustitia quam Logica, quia ceterum invariatæ manerent operationes Logica, si pro rebus, A. & B. substituatur: non manerent autem ceterum dationes, emptiones, restitutions, si pro pecunia A. & B. restituatur.

INSTABIS 1. Æqualitas afficit immediatè res ipsas, non autem operationes externas. Quia ad centum debiti, nihil est æquale nisi centum, immo tota ratio justificandi datum & acceptum, est æqualitas rerum.

RESPONDETUR. Imprimis insistendo data solutioni; quod scilicet, quidquid sit, an æqualitas Physica afficit immediatè res ipsas, falsum tam est, quod æqualitas moralis seu honestas æqualitatis, immediatè afficit res ipsas.

Deinde ex alio principio solvit idem argumentum. Negando antecedens; ad centum

autem debiti non est æquale centum utcunque, hinc si debitum sit centum, creditorq; habeat centum; est tunc æqualitas Physica debiti & crediti, sed non æqualitas moralis: quia ad centum debiti non est æqualitas nisi centum solutionis, si autem est illuc solutio, est actione externa, quæ ipsa est prior ipso centum dato, solaque participat honestatem, hinc sola, immediatum erit objectum.

INSTABIS 2. Illud est objectum iustitiae materiale immediatum, quod per se immediatè participat æqualitatem iustitiae: illud autem per se immediatè participat æqualitatem iustitiae, quod per se immediatè participat æqualitatem, quam appetit creditor: nam æqualitas debitoris relativa est ad æqualitatem creditoris, æqualitas autem, quam appetit creditor, est æqualitas rerum, nempe ut suis creditis centum, respondeatur per centum.

RESPONDETUR ex dictis, quod illud per se participet æqualitatem iustitiae, quod per se immediatè participat æqualitatem, quam tanquam includentem rationem honestatis appetit creditor. Conc. Non inclusa hac honestate. Nego. Ratio, quia hic agitur de æqualitate includente rationem virtutis, quæ non habetur in ipsis rebus. Hinc, si aliquis prævidens, quod sibi aliiquid non esset restituendum compensaret sibi: tunc debitor non teneretur jam ad æqualitatem Physicam, non poneret tamen moralem: unde etiam illi creditor objicere posset; non reddidisti mihi &c. similia.

Aliter eidem difficultati ex dictis satisfit. Quod scilicet creditor exigat æqualitatem rerum, non quomodocunque, sed redditarum, ubi involvitur redditio, quæ prior erit redito, adeoque per prius participans rationem Formalem iustitiae. Per hoc etiam non negatur posse concedi, quod in prædicato æqualitatis attendatur ad prædicatum æqualitatis rerum, tanquam aliquid notius.

INSTABIS 3. Ergo saltem res, non erunt quidem objectum immediatum, saltem tamen erunt ultimum. Ad eum modum, quo potentia immediatè specificantur extrinsecè ab actionibus, ultimato ab objectis, à quibus vel ipsi actus specificantur.

RESPONDETUR. Si nomine ultimati objecti accipiatur quodcunque tandem spectans ad aliquam virtutem, in quo desinit motus illius, sic erunt ultimatum objectum res. Si autem nomine ultimati objecti accipias, quod ultimo inse participiat honestatem, ita, ut antecedentes participationes honestatis ultimò in illa conquiscent, sic non sunt objectum ultimatum res, quia illæ in se honestatem æqualitatis participatam non habent.

OBJCITUR 3. Iustitia potius intendit æqualitatem inter personas: unde etiam iudex, qui est iustitia animata, vult personas æquare. Er-

*C 4 go,

R. P.
THE MLOD
VIA DAWSKI
TOM 3. e. 4.
D. VI
6

go, personæ potius & non operationes externæ, erunt objectum materiale justitiae.

R E S P O N D E T U R. Quod justitia potius intendat æqualitatem inter personas tanquam finem. Cui debetur æqualitas, non autem intendit æqualitatem inter personas tanquam finem. Qui: & tamen non nisi objectum, coincidit cum fine Qui. Hinc etiam Religio: quia habet Deum pro fine Cui, & actiones cultivas Dei pro fine Qui, sit, ut illæ sint objectum Religiosus, non verò Deus.

Paulò alter communius responderet: quòd scil. justitia intendat æqualitatem inter personas non inducendo illam immedietè in ipsas personas, sed in actiones nonnisi illarum: ad eum modum, quo immedietè rectitudo Logica inducitur in operationes, non in ipsum intellectum.

DIFFICULTAS II.

De Objecto Formali Justitiae.

TRACTATIO de Objecto formalis justitiae, sub ratione formalis certior est, cuām in aliis materiis præcipue habituum intellectualium. Triplex enim Ratio formalis in aliis materiis distinguitur. Ratio sub Qua formalis, hæc ordinariè dicitur esse abstractio, quæ locum in præsentinon habet: quia abstractio, sicut ipsa est de linea intellectuali, ita etiā convenit nonnisi intellectualibus habitibus, justitia autem virtus moralis est; licet etiam in virtutibus moralibus reperiri suo modo possit v.g. in præsenti æquabilitas, æqualitatis ipsam honestatem, pro formalis statuendo. Non habet etiam hic locum Ratio formalis, Quæ, prout condincta à ratione formalis Propter Quam: quia in habitibus virtutum, motivum proprium desumibile est, nonnisi ex ratione inclusa in ipsomet formalis; & ita in Fide, ratio motiva, est veritas prima, quæ etiam est ratio formalis fidei, honestas item gubernandi se secundū dictamen hīc & nunc rectæ rationis, est & motivum & formale prudentiæ; sive de reliquis, idemq; contingit, ut videre erit, in justitia.

DICENDUM est. *Formale justitiae esse honestatem æqualitatis ad jus alterius.* Dico potius esse honestatem æqualitatis, quam æqualitatem: quia justitia etiam quoad suam rationem specificam, est virtus voluntatis; habetq; specificativum virtutis voluntatis, ut potè ejus species. Si habet rationem specificam virtutis voluntatis, habet rationem versantis circa objectum voluntatis: cum ergo non versetur circa utile, quia non versatur circa proprium, hinc, appellatur ab Aristotele, *bonum alienum*. Item cum non versetur circa jucundum, quia etiam hoc spectat ad virtutes moderatrices ut plurimum passionum, debet versari circa honestum: si debet versari circa honestum, debet hæc ratio ex-

primi, quia sicut species externa, prodit pulchritudinem, ita formale, prodere debet pulchritudinem virtutum, quæ stat in prosecutio-ne honesti. Cumque æqualitas etiam in rebus suo modo reperiatur, idque immediate, nullo enim mediante centum est æquale ad centum, non reperiatur autē nisi in operationibus honestas, debet fieri in objecto justitiae formalis mentio honestatis, ut ita magis proprium & circumscriptum ponatur formale justitiae. Debet autem esse honestas æqualitatis, non qualiscunq;, quia illa qualiscunque non sufficit ad virtutem justitiae: esse enim æqualem maximis, famâ, doctrinâ, elegantia corporis, divitii &c. dicit honestatem æqualitatis, nec tamen quidquam justitiale importat. Ideo additur, quod formale justitia non sit honestas æqualitatis quo-cunque modo, sed honestas æqualitatis ad jus alterius.

P R O B A T U R I. Auctoritate Aristotelis s. Ethicorum cap. 3. & sancti Thomæ. q. 58. art. 10. & 11. Ubi adducit Auctoritatem Sancti Ambrosii. Lib. i. de Officiis: *In justitia est, que unicuique, quod suum est tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem equitatem custodiat.* Ubi, ut vides, numeratis actibus justitiae, tamē illarum centrum ad coquere formale exprimit, æqualitatis custodiā.

P R O B A T U R II. Argumento communi. Illud est objectum formale justitiae, quod maximè intendit in suis actibus justitiae, quodque il- lam sufficienter distinguit à reliquis omnibus; quæ Propositio probatur inductione in reliquis quibuscunq; habitibus: resolviturq; in hoc imprimis. Quia, quod maximè appetitur & intendit ab habitu, illud est maximum bonum illius: sicut enim appetitus index est boni, quod appetitur; ita maximus appetitus, index est maximi boni. Jam autem in habitibus, maximum bonum, est objectum formale; sicut in composito maximum bonum, est forma, unde & sola appellatur ab Aristotele, Quod Quid. Resolvitur etiam in hoc. Quia in habitibus practicis, finis ultimus intrinsecus, & objectum formale, sunt idem, si sunt idem: Ergo cum id, quod maximè intendit in suis actibus justitiae sit finis ultimus intrinsecus justitiae, maximè enim finis ultimus intenditur, idem etiam, quod maxi-mè appetit, & intendit suis actibus justitiae, erit objectum formale ejusdem. Quod autem illud maximè intentum debeat etiam esse suffi-cienter distinctivum, ex proportione ad formam Physicam deducitur, quæ universaliter res distinguit. Nam quamvis materia possit etiam res distinguere, id tamen non facit univer-saliter. Sed justitia in suis actibus maximè attendit ad æqualitatem ad jus alterius. Quod probat inductio, universaliter hanc Propositio-nem fundans; Nullus actus est justitia, qui æqualitatem ad jus alterius non importet. Ergo appa-

Disputatio I.

33

apparet illam æqualitatem maximè intendi: nam quod in omnibus appetit ponere, ponitque justitia, appareat maximè appeti; sicut, quianatura maximè horret nihil; & appetit ens in omnibus, quæ ponit, ponit ens, & in statuaria, quia maxime appetitur, tanquam formale, effigie corporeorum linearum; ea in omnibus ponitur à statuaria. Quod autem idem formale sit ad æquatum; probat communis Ratio. Quia ne excedit justitiam: cùm nulli alteri, nisi justitia competat; & non exceditur à justitia, quia nihil aliud est, quod præter æqualitatem intendat justitiam. Et sicut ad æquatum formale hominis, est rationalitas, quia nec excedit hominem, nec exceditur ab eodem, sic & in presenti erit æqualitas. Esse autem eandem objecum attributionis, ex eo deditur: quia ad illam omnia attribuuntur, quæ spectant ad justitiam.

PROBATUR 3. Honestas æqualitatis ad jus alterius, est aliqua honestas: non esset enim id, quod est, si non esset honestas aliqua. Ergo est objicibilis alicui virtuti morali cardinali. Nam nullum est honestum, quod virtus non prosequatur, sive illud virtus non prosequitur, hoc ipso non esset honestum. Virtus enim, ut sic, est essentiali determinatione prosecutiva honestatis; & si esset indifferens ad illius prosecutiohem, hoc ipso non virtus, sed commune quid ad virtutein, & virtutem, esset. Quod si honestas æqualitatis ad jus alterius est objicibilis alicui virtuti cardinali, non erit objicibilis alteri, quam justitia. Quod ipsum probatur. Tum quia. Justum & æquale, per Aristotelem, & omnes, in idem recidunt, in genere moris. Ergo, si ratio formalis justi, est justitia, etiam æqualitas, ratio formalis justi erit, sicut albedo, est ratio formalis albi. Sed non æqualitas in quantitate, vel qualitate: hæc enim est æqualitas Physica. Ergo erit æqualitas ad jus, hæc enim est sola moralis, spectansq; ad justitiam. Tum quia, per ipsam enumerationem partium facile devenitur, æqualitatem hanc non esse objectum alius cardinalis virtutis; non enim est objectum prudenter, quia hæc attendit ad regulas rationis, secundum hæc & nunc: non etiam spectat ad temperantiam, vel fortitudinem; quia per se hæc attendunt ad passiones; hoc autem per se, æqualitas dicta, non importat. Tum quia illius virtutis objectum formale est æqualitas, cuius virtutis omnis actio, est aliqua æqualitas. Quod ipsum probatur. Hoc enim ipso non esset illud objectum formale, de quo hic queritur, si non formaret quemcunq; illius virtutis actum; sicut non esset ratio formalis hominis rationalitas, si quicunq; homo non esset rationalis, modo hæc ratio formalis conjungatur cum sufficienti distinctione illius ab omnibus; quæ non sunt ipsa. Sed non quicunq; actus reliquarum virtutum est æqualitas. Quod ipsum probatur. Quia

potest prudentia dictare hæc & nunc hoc potius quam illud comedendum esse. Potest fortudo temperare iram, temperantia appetitum mortificare ex præcisa honestate mortificationis, in quibus omnibus nulla relucet æqualitas ad jus alterius. E contraria autem; nullus actus est justitia, qui non sit æqualitas immediate vel proximè reductivæ; dixi, proximè reductivæ, quia omnes virtutes ad singulas remotè reduci possunt, saltem ratione imperii.

OBJICITUR i. Defacto datūr actio justitiae cum inæqualitate. Ergo, æqualitas non est objectum formale justitiae. Antecedens probatur. Quia si aliquis impos reddendi centum, reddat quinquaginta, non ponat æqualitatem, & tamen ponat actum justitiae: hinc semel redditum quinquaginta non tenetur iterato cum alio quinquaginta reddere, extinguitq; omne jus ad quinquaginta.

RESPONSIo communis est; quod, reddens quinquaginta, non ponat æqualitatem materiali: hæc enim depositum reddendi quinquaginta; quod tamen ponat æqualitatem formalem, h.e. eam, quæ hic & nunc legitime exigitur, & quæ hic & nunc obligatoriæ reddenda est; ita, ut si non reddatur, incurra sit in justitia.

INSTATOR i. contra hanc Responsionem. Quia & attenderet justitia & ad medium rei non attendendo ad medium rationis; & non attenderet. Attende et quidem, quia, expositis supra, attendere debet; & non attenderet, quia attendere ad hæc & nunc, ad circumstantias, personas, &c. est attendere ad medium rationis.

RESPONDETUR. Quod secundum rationem genericam virtutis, attendat justitia ad medium rationis, sicut & est bonum habentis, non ad alterum. Et, sicut nulla est virtus, quæ ex directione prudenter non fiat, quia alias cæco modo & imprudenter fieret, quod est non virtuosæ sed cum defectu operari; ita ad id etiam justitia attendere debet. Sed non sicut in medio rationis, tamen in ratione sua differentiali, excludendo medium rei: quia post præcedens dictamen, quod post consultationem fit de possibiliitate reddendi medietatem, tum primum accedit formalis ratio justitiae, quæ dictat redditum quinquaginta; quia medium rei versans circa medietatem centum, quod est omnibus idem, situm est in rebus non in proportionibus, & est ipsum quinquaginta, cuius redditionem intendit per se tunc justitia; quæ medietas eadem est & respectu divitis, & respectu pauperis, & hunc, & alias. Adeoq; adhuc tunc habetur medium rei.

INSTATOR 2. Ex responsione ad principale argumentum data, sequitur justitiam attendere ad æqualitatem formalem, hæc enim sola in omni actu justitiae reperitur, non semper autem materialis; non potest autem dici, quod justitia

ad

R. P.
TH. MLOD
la. DWSKI
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

ad æqualitatem formalem attendat; quia non exhaustit debitum: sola autem æqualitas exhauiens debitum, est æqualitas justitiae. Hinc non ponitur æqualitas justitiae per aliquem actum religionis, & cultus divini: quia ille non exhaustit jus in Deo ad sui cultum, & non ad æquat. *Antequam respondeatur.*

SUPPONO 1. Statuendam hic esse categoriam juris & debiti. Nam imprimis, est jus ut sic; postea debitum ut sic; sub jure ut sic, est jus ad totum, & jus ad partem; sub debito etiam ut sic, est debitum partis, debitum totius. Similiterque discurrendum de æqualitate; est enim æqualitas ut sic, idq; medium rei habens. Hæc subdividitur in æqualitatem in toto, seu absoluto, & in æqualitatem in parte, seu in aliquo absolu: sicut enim medium rei ad decem crediti, est decem debiti, ita medium rei ad quinq; ex eodem decem crediti, est quinq; debiti, tanquam medium rei.

SUPPONO 2. Quamvis æqualitas materialis sit divisibilis, possitq; esse vel in toto, vel in parte; formalis tamen æqualitas semper est indivisibilis; Et ita obligatus reddere decem, cum non possit reddere nisi quinque, potens tamen reddere quinq; si non reddat nisi duo, non ponit æqualitatem formalem, quia poterat reddere quinq; & non reddit. Quod ulterius in hoc resolvitur. Quia æqualitas materialis, stat in reddere quantum debes, formalis autem in reddere quantum potes: hinc cum non raro debeat intercedere legitima nonredditio tantum, quantum debetur, nunquam autem posse esse legitima nonreditio, si non reddit quantum possit, fit, ut hæc & indivisibilis sit, &, in omni actu intervenire debeat. Quamvis autem dicatur medium etiam rei, ad quod attendit justitia, in indivisibili consistere, non excluditur ut consistat in indivisibili, divisibiliter tamen, sicut numeri in indivisibili consistunt, compositum item, &c. similia, licet divisibiliter: ita & medium rei. Sed æqualitas formalis & in indivisibili & indivisibiliter consistit: huic enim termino, quantum potes, si aliquid demas, hoc ipso non erit, quantum potes, si autem aliquid addas, non erit etiam quantum potes, sed supra quam potes.

SUPPONO 3. Æqualitatem formalem ponit in omni actu justitiae, sed vel cum adæquata æqualitate in toto materiali, vel cum æqualitate materiali adæquata in parte. Ratio ex dictis supra peti debet; quia si æqualitas non coniungetur materiali, non jam actio illa externa est actus justitiae. *His suppositis.*

RESPONDETUR. Potesse esse æqualitas in adæquata justitiae exhaustus debitum in parte, quæ æqualitas, si comparetur ad plus, erit inadæquata: si comparetur ad hic & nunc, & ad partem debiti, erit adæquata parti. Ad eum modum, quo semi ulna est adæquata alteri semi ulna, licet non sit adæquata ulna.

Ea, quæ allata sunt de actu cultus divini, in presenti locum non habent: quia inter Deum & homines non intercedit justitia rigorosa. Deinde, quia posito illo actu, non jam exhaustur obligatio ad ponendum iterato similem actum; jam autem posito debito quinque, non debes repetere solutionem ejusdem quinque, sed non nisi residui, consequenter saltem in parte exhaustis jussi alias, & tuam obligationem. Alii dicunt in hoc esse disparitatem, quia jus divinum est ab intrinseco inexhaustibile; jus autem creaturæ est non nisi ex accidenti inexhaustibile, hic & nunc.

OBJICITUR 2. Si attendendum est ad æqualitatem in actu justitiae, sequitur destrui naturas omnium contractuum. Quia, ut urget Maironius, aurô totius mundi, non potest æquar unius equus.

RESPONDETUR. Quod attendatur ad æqualitatem non entitativam entium inter se, sed æqualitatem moralem, & in ordine ad communem vitæ; æquantur autem moraliter, pretium qui & equis.

OBJICITUR 3. Potest ponit æqualitas ad jus alterius, & non ponit actus justitiae. Ergo, ex assumptione supra, æqualitas, non est objectum justitiae, tale, de quali hic queritur: cum exceedat justitiam, ut potè reperibilis, quin reperiatur justitia. Anteced. probatur. Si quis restituat debitum aliás centū, sed animo male v. g. ut post numerationem pecunia, habeat commoditatem occidendi creditorem; talis ponit æqualitatem ad jus alterius, extinguit enim omne jus exigendi centum, & tamen non ponit actum justitiae: quia est impossibile ponere actum justitiae, & non ponere actum virtutis: nulla enim species possibilis est sine generico, quod presupponit, prædicato, ut impossibile est esse hominem sine animali, quod autem ille non ponat actum virtutis. Probatur, quia nullus actus virtutis moveret motivo turpi, tanquam objecto prosecutionis; ille autem actus moveretur tali motivo.

RESPONDETUR. Hoc, quod est ponere æquale iuri alterius, duplice contingere potest. Imprimis, ponendo illud ex motivo justitiae, deinde, non ponendo illud ex motivo justitiae. Si non ponat illud æquale ex motivo justitiae, non facit quidem actum internum justitiae completum, facit tamen incompletum; simulque facit actum externum justitiae. Quod non faciat actum internum justitiae completum. Ratio est. Quia debuit habere volitionem justitiale, antecedentem ipsam dationem, debuit etiam habere dationem innitentem illi motivo, quæ duo, quia non habuit, non facit actum internum completum justitiae; facit tamen incompletum, quia datio est etiam actus imperans externam dationem: intercedit

Disputatio I.

33

cedit tamen tunc actus externus iustitiae complicitus, nempe redditio 100. neque enim ultra hoc externum, ullum aliud externum, iustitiae licet exigi potest. Unde in creditore extinguitur omne jus exiguum alicujus externi. Si tamen seiret non habuisse illum actum internum iustitiae, non quidem in foro litigioso, quod non nisi ad externa attendit, in foro tamen, ut ita dicam, interno, habet jus proprobandi, quod debet quidem, sed non tanquam restitutor; nec animo, qui probum restitutorem deceret. Si autem ponat illam dationem, illumq; actum externum redditionis centum ex motivo iustitiae, etiam si conjugat illum actum cum alio motivo in honesto, faciet adhuc moraliter actum virtutis, & sub illa formalitate, bonum. Ratio, quia quamvis Physicè ille actus ab utroq; motivo dependeat; moraliter tamen duplex est, & pro illa parte morali, nihil illi deest ad rationem virtutis: nam motivum aliud spectat ad aliam partem moralem, aliumque actum moraliter: quia tamen actus bonus debet esse ex integrâ causa; ideo non potest dici absolute bonus.

Quod ipsum ulterius sic explanatur, est que admultas alias materias in simili, etiam intentiones Sacramentorum transferendum. Quando aliquis ex motivo occisionis, & ex motivo honestatis iustitiae reddit centum, duplificiter se in hoc habere potest. Primo, ut intercedat virtualis refutatio interna motivi v.g. honestatis iustitiae, quasi dicat, volo dare centum, titulo restitutionis: quem ipsum titulum nolle, nisi ut occidam; talisq; non facit actum virtutis iustitiae: quia assumptum titulu refutat rejicitq; proponitq; illum sibi, ut refutet. Secundo, potest se in hoc habere ita: ut motivum utrumque assimat; neutrum refutando, & eo casu, ut datum in superioribus, elicit etiam actum iustitiae, licet non denominabilem simpliciter virtutum. Et licet, nullus actus virtutis moralis moveatur motivo turpi, casu, quo simul non conjugatur motivum honestum; adeoq; motivo turpi praeceps; potest tamen moveri motivo, coniuncto, cum alio motivo turpi.

Unde, ulterius inferes: casu, quo gladius restituatur furioso id exigenti, sit tunc actus complicitus iustitiae externus, non tamen sit actus iustitiae virtutis internus: quia tunc legitimè non exigit illa restitutio: sunt enim circumstantiae illegitimes exigentiam. Deinde, quia actus virtutis iustitiae infundatur supra rationem actus virtutis genericam, quia hinc non habetur: quia actus virtutis, praecepit secundum dictamen recte rationis fieri, quod potius vetat furioso redigiladum.

Direcere ergo ad Objectionem dici potest. Negando Antecedens. Et Probationem illius, distinguendo, quod talis ponat æqualitatem, & non ponat actum iustitiae, secundum quod moveretur motivo illo in honesto concedo: Secun-

dum quod movetur motivo honesto. Nego Majorem. Addo per nos non æqualitatem ut cunq; sed honestatem æqualitatis, esse formale iustitiae, quæ si non habeatur, quid mirum si non erit actus iustitiae?

DIFFICULTAS III.

De medio intento à iustitia.

OMNÆ æquale, est medium. Posito ergo, quod iustitia attendat ad æqualitatem, attendet ad medium. Quod, quantum ad præsens, duplex cogitari potest: quoddam medium rei; & aliud medium Rationis. Explicandum hoc erit.

Punctum Difficultatis 1.

Quid per alios medium rei?

EXPLICAT I. quidam. Ponitque imprimis, virtutem in mediocritate tripliciter consistere. Objectivè, causaliter, & formaliter. Objectivè in mediocritate consistere dicitur, quantum requirit in objecto suo medium, inter excessum & defectum: ut fortitudo medium inter audaciam & timorem. Iustitia inter plus & minus dati & accepti. Causaliter virtus in mediocritate consistit, quatenus, medium à ratione præscriptum, ponit in objecto suo, seu materia sua per actus suos, quo modo Temperantia ponit medium à ratione præscriptum in sumptuione cibi & potus. Formaliter deniq; quatenus ipsa virtus est forma media inter duo vitia, seu inter duo extrema vitiosa, quorum unus peccat per excessum, alter per defectum.

Ponit deinde, non in quibusvis virtutibus triplicem hanc mediocritatem inveniri; sed in aliquibus omnibus, in aliis autem, esto prima & secunda reperiatur, non tamen datur tertia. Sic in fortitudine dantur omnibus tres mediocritates: habet enim in objecto suo medium inter excessum & defectum, & ipsum ratione prudenter indagat, ac definit; estq; simul forma inter duo extrema vitiosa, timorem & audaciam. Castitas vero, esto primam & secundam mediocritatem habeat, caret tamen tertia: non est enim forma inter duo extrema vitiosa: sed quoties contra castitatem delinquitur, per solum defectum peccatur, recedendo ab obligatione. Sic contra castitatem conjugalem per solum defectum peccatur, puta per copulam, non cum sua, non autem per excessum, servando non solum conjugalem castitatem, sed ab omni prorsus copula, etiam licita, abstinentio. Contra etiam virtutem jejuniti Ecclesiastici per solum defectum delinquitur, bis nimis in die comedendo; non vero ab omnipotens refectione abstinentio.

Ponit

R. P.
THOMAS
MILOD
D. A. DOWSKI
TOM. 3. c. 4.
D. VI
6

Ponit denique, in iis virtutibus, quæ non sunt forma mediocritatis inter duo extrema vitiosa, excessum non esse vitium, saltem eidem virtuti oppositum. Sed aliquando est virtus, aliquando ratione circumstantiarum vitium, sed alteri virtuti contrarium. Sic excessus castitatis conjugalis, dum aliquis non solum à copula illicita, sed servanda virginitatem etiam à licita, & cum sua abstinet, non est vitium contra castitatem. Sed si fiat cum consensu utriusque partis, est virtus castitatis, & quidem excellentis. Quod si fiat altera parte invita, vitium quidem est contra justitiam, non contra castitatem; idque variis aliis instantiis illustrabat. Hisque positis. Dicebat rationis medium non ideo dici, quod sit ens merè confitum à Ratione; verum ideo, quod, esto à parte rei in objecto sit definitum, & determinatum, ipsius tamen definitio & determinatio, non sine singulari rationis scrutinio, & indagine invenitur. Sic Temperantia dicitur habere medium Rationis, non quod illud sit à ratione confitum: datur enim à parte rei in sumptione cibi & potus certa & determinata mensura, respectu cuiuslibet hominis in particulari. Unde si quaeratur, cur ratio definiat tantum v.g. cibum, hīc & nunc? sufficere, recte respondebitur: quia Petrus in talibus circumstantiis posito, neque plus neq; minus est sufficiens. Sed dicitur Temperantia habere medium Rationis, quia illud difficile invenitur: E contra, medium rei non ideo dicitur, quod tantum sit à parte rei, & nullo modo medium rationis; seu quod à ratione prorsus non debeat attingi, & proponi. Sed propterea, quod, et si ab intellectu proponi debeat, non tamen indiget peculiari scrutinio, & indagine. *Hæ Positiones & Explicatio.*

NON SATISFACIT 1. Quoad doctrinas circa ipsammet justitiam. Nego enim universaliter, justitiam non esse formam mediocritatis inter duo extrema vitiosa. Tum quia, accipere plus quam debeatur tibi v.g. faciendo occultam recompensationem, & accipiendo decim cum tibi debeatur quinque, & postea reddendo, v.g. tria tantum. Certè sunt hæc duo extrema vitiosa: plus enim & minus semper sunt extrema, Ly autem, plus quam deberes, & minus quam deberes, cum disordinationem ad debitum fundent, hoc ipso fundant rationem vitii, quod semper procedit contra debitum operandi modum. Justitia inter hoc mediat. Ergo est forma inter duo extrema vitiosa. Tum quia. Præstantissima inter species justitiae est justitia Legalis: hæc etiam versatur inter duo extrema vitiosa: Nam ponere taxam rerum; pertinet ad justitiam Legalem, ponatur excessus taxæ, erit contra justitiam, diminuens fortunam ementum; ponatur defectus in taxa, minus taxando, quam res exigat, defectus erit contra justitiam diminuens fortunam venden-

tium. Mediat inter hæc justitia Legalis. Ergo, apparet, quod sit forma mediocritatis, inter duo extrema vitiosa. Tum quia. Concedo quidem, non in omni actu justitiae reperiiri hoc, ut illa sit forma mediocritatis inter duo extrema vitiosa: non raro enim solo nonnisi defectu, seu per minus peccatur; & ita non peccat contra justitiam, qui debens centum, reddit centum decem: sed inde non sequitur, quod saltē interdum justitia non sit forma mediocritatis inter duo extrema vitiosa, ex quo sequitur, quod non esse illam talem formam, non sit ratio illius adæquata formalis, & in omnibus actibus necessario reperibilis. Tum quia. Exempla, quæ adfert pro sua sententia, non convincent. Primum exemplum est. Si venditor ratione equi appretiabilis pro centum accipiat sciens & volens nonnisi 80. non peccat contra justitiam. Ergo, justitia non est forma inter duo extrema vitiosa, sed contra illam delinquitur solum per defectum. Quod exemplum non facit pro intento: Nam, imprimis, si contra justitiam defectu seu per minus peccatur, hic aperte est minus. Ergo, peccari tunc contra justitiam deberet vi hujus doctrinæ. Deinde, non potest, statui certa regula, quomodo se, & ad quid justitia habeat, si recurratur ad conditionem scientis, & volentis. Quod ipsum probatur. Quia sicut non sit injuria, si sciens & volens pro centum accipiat 80. sic nec est injuria, si sciens & volens pro centum, det ducentia. Secundum exemplum est. Si quis debeat duobus centum, & uni det ducentia, per hocque se reddat ad reddendum alteri impotentem, peccat tunc contra liberalitatem, eò quod gratis superaddat, quod non deberet superaddere; contra justitiam autem nonnisi per defectum, quatenus alteri creditori non restituit, quod illi debet. Hoc exemplum commodius quidem est ad intentum arguentis, sed habet in hoc difficultatem: quia Physica, moraliter loquendo, non redditio illa, perficitur, illa datione ultra fortem; Ergo, moraliter loquendo, illa datione peccatur contra justitiam. Tum quia. Ratio, quam explicans ponit pro hac positione, est contra illum. Sic enim assumit: contra justitiam solum delinquitur per defectum restituendo minus vel auferendo plus quam debetur. Hæc autem assumptio est contra illum, quomodo enim auferre plus quam debetur, est defectus? cum non sit minus sed plus; nisi forte dicashunc esse defectum moralem, qui contingit etiam in illis, in quibus nonnisi per plus peccatur.

NON SATISFACIT 2. Quoad doctrinas circa alias virtutes. Tum quia. Nego timorem sine addito, itemque audaciam esse extrema vitiosa, inter quæ procedat fortitudo. Sed sunt passiones indiferentes ad esse bonas & non esse malas, cum tamen explicans, sine addito ponat timo-

Disputatio I.

37

timorem, & audaciam pro extremis vitiis. Tum quia, non appetet, qui non peccatur contra castitatem conjugalem, etiam excessu, hoc est, utendo aliena: videtur enim hoc spectare ad lineam pluris. Tum quia. Concedo quidem admissibile Arift. mediocritatem in virtutibus, sed non potibile à mediatione inter duo extrema lepus mala; ait enim 2. Eth. c. 6. Nonnulli enim sunt affectus, qui statim vel ipso nomine cum pravitate implicantur, ut malevolentia & invidia, & item actiones, ut adulterium, furtum, &c. Omnia enim hæc & hujusmodi appellantur: quia non excessu ipsorum aut defectus, sed ipsamala sunt. Ut nullo modo possit quispiam in ipsis rectè agere, sed peccata res semper necessit. Cujus rationem his formalibus subdidit. Nam hoc modo ex superationis & defensionis mediocritas ex superationis item ex superatio, & defensionis defectio inveniretur. Et tamen, sine ullo addito, explicans appellat mediocritatem formalem, stare in mediocritate inter duo extrema vitiosa.

NON SATISFACIT 3. Tum quia, hæc explicatio, est contra communem acceptiōnē harum vocū, Medium rei, &, Medium rationis: Nam imprimis Arift, non ex facilitate, vel difficultate indaginis scrutiniiq; hæc duo discerit: nam Medium rei, accipit per ordinem ad hoc, quod sit unum idemque omnibus: contra, Medium rationis, Medium non unum idemque omnibus. Ipse etiam S. Thomas citatus in corpore, Medium Rationis dicit, non accipi secundum proportionem unius rei ad alteram, sed solum secundum comparationem ad ipsum virtuosum; cum tamen Medium justitiae h.e. Medium rei, consistat in quadam proportionis æqualitate, rei exterioris, ad personam exteriorē. Insistens horum auctoritati Molina t. i. d. 3. col. 8. definit Medium Rationis, quod sumatur per comparationem ad agentem. Medium autem rei sumitur ex natura rei collatione facta cum altero. Similia habet Tann. d. 4. q. 2. n. 48. Rayn. L. i. de Virt. Mor. in partic. s. i. n. 19. Et ex allatis vides, quod prædicti Auctores Medium rei, non per facilitatem indaginis explicit, sed quod idem sit omnibus, & non per ordinem ad operantem desumatur. Medium etiam rationis non explicit per difficultatem indaginis, sed quod non idem sit omnibus, per ordinemque ad operantem & circumstancias delimitatur. Tum quia. Saltem nobisissima species justitiae legalis h. e. distributiva, non foret justitia: quia proportio meriti & præmii nullo modo de facilis est indagabilis: imò simile quid accedit, dum inconclusa scitur, non posse reddi hic & nunc totum, quantum autem hic & nunc in circumstantia talis reddentis tam miserè vel tam commodè habentis creditoris, &c. similibus circumstantiis, quantum, inquam, hic & nunc teneatur reddere, facile non indagatur. Tum quia; sequeretur quod prudentia

saltem partialiter spectata, sit justitia: quia ad prudentiam spectant tam faciles, quam difficiles indagines rerum, adeoque media difficulter & faciliter indagabilia.

EXPLICAT 2. Esparza q. 9. ponitque, Medium rei coincidere cum triplici æqualitate intenta à justitia, solumque differre per diversos comparationum modos ad terminos relatè, ad quos eadem res consideratur. Porrò æqualitas prima, quam intendit justitia, est æqualitas proportionis inter jura cuiusq; & res pertinentes ad ipsum, ut scilicet: sicut se habent jura unius ad jura alterius, ita omnino se habeant res unius, ad res alterius, terminantes eadem jura. Ratio, quia impossibile est, ut habeat, quod suum est, cuius res magis excederentur à rebus alterius, quam jura ejusdem à juribus alterius, & è converso. Secunda æqualitas inter datum & acceptum per contractum: vel quasi contractum sive voluntarium sive involuntarium. Ratio, quia si duo habeant 8. & alter eorum tantum duo, accipiat 4. ex æqualibus fiunt inæquales adversus justitiae Leges. Tertia æqualitas est formalis, per conformitatem ad leges, & conventiones hominum, omnibus & singulis hominibus æquales. De quo ipso notat, lege & conventione, omnino æqualiter, respectu duorum, posse subordinari inæqualitatem materialem inter eosdem; & ita sit in conventione fortis, in qua æqualis est uterque contrahens, æqualiter se exponens periculo, & spei; eventus tamen est necessario inæqualis favens uni, adversus alteri. Hæc Explicatio

NON SATISFACIT plenè. Tum quia; ita esset explicandum Medium rei, ut simul advertatur illius differentia à Medio rationis, quod non facit dicta explicatio. Addit quidem rationem, cur attendat ad Medium rei, justitia. Deinde, quod medium rationis in indivisibili non consistat. Sed hic conceptus non est primo definitivus mediæ rationis? Tum quia. Si potest, ut revera potest, dari formalis æqualitas sine æqualitate materiali, explicandum venisset, cur non reguletur tuh in sua æqualitate, idq; ultimo, justitia, per Medium rationis? Tum quia. Doctrina, quam in processu usurpat Esparza, quod scil. objectum justitiae, consistat in medio inter duo extrema virtuosa, non tamen inter duos habitus virtuosos, ubi pronuntiat universaliter, alias virtutes morales esse etiam medias formaliter inter duo vitia, id etiam non convicit. Nam non appetet quo modo castitas conjugalis, quæ est virtus moralis, sit etiam media inter duos habitus virtuosos: imò & ipsa virginitas. Deinde, sicut hoc extremum virtuosum, quod est contra justitiam legalem, taxare plus quam æquum, & minus quam æquum, sunt separabilia & distincta; ita & habitus

*D

torum

R. P.
H. MLOD
18.0.1.3.6.14.
D. VI
6

corundem. Cur ergò saltem tunc non erit iustitia media virtus inter duos habitus vitiosos? Insuper, Ratio, quam pro hoc suo assumpto ponit Esperanza, non convincit: quando enim dicit, quod eo habitu, quo aliquis causa est, ut ipse plus habeat, quam deberet habere, eadem est causa, quod alias minus habeat, id non convinxit: quia licet id verum sit pro aliquo casu, falsum pro alio, secundum adlatam instantiam de iustitia legali. Nam actus ille praesertim taxandi, est injuriosus, & taxans facit quidem minus habere mercatorem, sed ipse nihil plus per hoc acquirit, nisi acta emat, secundum taxam a se factam, qui actus, est quidem lucrativus sed distinctus ab actu taxandi, qui secundum se, est tunc injustus.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Medium rei.

EXPLICATUR I. Fundamento habitu in 2. Eth. c. 6. In omni re in indivisibili non consistente, potest accipi plus, minus & aequale: si enim haec non possunt accipi, ex eo ipso sequitur, rem illam consistere in indivisibili, hoc ipsum autem, quod est accipere posse minus, plus, aequale, vel est in re, vel in ordine ad nos, adeoq; medium seu mediocre, erit medium inter excessum, & defectum, vel in re, vel in ordine ad nos. *Ad medium quidem rei, id dico;* inquit Aristoteles, *quod ab utroq; extremo aequè distat, estque unum & idem omnibus.* Et sic v. g. 5. & 5. in 10. medium sunt; est enim medium inter plus, quod est 6. & 4. quod est minus. Sed ad praefens commodius exemplum ponit Aristoteles, *si decem plura sunt & duo pauca, sex medium accipiunt, quantum ad rem quippe quo ex eo & superent & superentur.* Si etsi enim 6. superat per 4. duo, ita ipsum sex superatur per quatuor a decem. Aliud autem medium appellat quantum ad nos, & hoc dicit esse non unum idemque omnibus; hocque sic exemplificat, quia si alicui 10. minas comedere multum est, & duas parum, non hoc ipso sequitur, quod medium respectu illius sint 6. minae, quas illi possit ordinare quicquam comedendas: fieri enim potest, quod sumptum hoc vel nimium sit, vel parum, & ita parum erit robusto alicui, multum autem ei, qui aliquam exercitationem incepit, sobrietate indigentem. Quae omnia sic complectitur Arist. verba textus sunt: *Non enim si alicui 10. minas comedere multum est, dicas parum, 6. et Ludimur si comedendas præcipier.* Nam fortasse id quoq; ei, si sumpturus sit, erit vel nimium vel parum. *Milioni quidem parum, nimium autem ei, qui exercitatio nemincipiat.* Quod si queras præcisam definitionem Medii, quoad nos, definit ibidem Arist. quod sit mediocritas ratione præfinita, seu ut superius loquitur, quando oportet, & ob qua, &

erga quos, & cujus causa, & ut oportet, hæc facere. Medium autem rei est, Medium secundum rem, seu id, quod in rebus neque supererat, ut excessus, nec deficit, ut defectus.

EXPLICATUR 2. habitu fundamento in 5. Eth. c. 3. & 4. & in S. Thoma ibidem in tex. Leet. 4. 5. &c. Et ut id fiat.

PRÆMITTO I. *Quod in iustus & iniquis, in justum item & iniquum idem sunt in moralibus, seu ut loquitur Arist.* Injuria iniqua est, proceduntque secundum plus & minus. In quibus autem est plus & minus, illic reperitur & aequalis: aequalis enim est medium inter plus & minus: Si enim excessum pluris addas ad minus, aequalia erunt, haecq; aequalitas nihil aliud erit, nisi medium inter plus & minus, faciens scil. ne hoc sit plus, nec illud minus. *Quod si aequalis & medium, idem sunt, in quibus erit reperire aequalis, in illis erit reperire & medium:* quia vero, ut dictum est, in justum est in aequalis, & in aequalis est in justo; & iusta, reperitur medium, quod scil. dejiciat ab excessu plus, & dicit illud minus, ut se coquet ad illud plus.

PRÆMITTO 2. *Omne justum & aequalis ac medium, esse secundum aliquam proportionem.* Unde dicit Arist. Jusigitur quiddam est, quod in proportione consistit. Rationemq; dat: quia sicut proportio necessariò numerum requirit, unde dicit: *Quod enim proportione constat, id non tam unitario numero, quam numero in universum proprium est: ita & iustitia, non est unius & ad unum, sed ad alterum.* Unde dixit Arist. ibidem cap. 3. *aequalis in minimis duobus est.* Quasi dicat, ad minimum iustitia, inter duo commutationis extrema est, licet haec duo minima, inferius subdividat. Quamvis autem iustum medium & aequalis idem sunt, & omnia secundum aliquam proportionem, condistinguenda tamen haec sunt formalitates, ita ut iustum sit, quia est per respectum ad alterum, reddendo ei quod suum est; aequalis autem, in quantum est in commensuratis rebus, vel quasi rebus, secundum quas attenditur aequalitas inter duas personas. Medium autem in quantum procedit inter duo, quae sunt plus & minus.

PRÆMITTO 3. *Si iustum & medium procedit, secundum aliquam proportionem, quotuplex erit proportio totuplex erit & medium, iustumq;.* Porro ipsa proportio, quam ut sic definit Arist. Lib. 5. cap. 3. quod sit aequalitas rationum. Dividitur in proportionem proportionalitatis, & in proportionem simpliciter. Proportio proportionalitatis nihil aliud est, quam aequalitas proportionis; cum scil. aequalis proportionem habet hoc ad hoc, & illud ad illud. Proportio autem simpliciter, nihil aliud est, quam habitudo unius quantitatis ad aliam. Rursus proportionalitas dividitur ab Arist. & S. Thoma in proportionalitatem disjunctam & continuam. Disjuncta qui-

dem

Disputatio I.

39

dem proportionalitas est, & qualitas duarum proportionum non convenientium in aliquo termino, ut si dicam, sicut se habet 6. ad 3. ita se habet 10. ad 5. ubi sunt quatuor proportionis termini, sine ulla ejusdem termini repetitione. Alia autem est & qualitas continua, que est & qualitas duarum proportionum convenientium in uno termino, appellat eam Arist. continentem, exemplum ejus est. Sicut se habet 8. ad 4. ita 4. ad 2. vocatur autem continua, quia, sicut continua appellantur, quorum extrema sunt idem, ita & in praesenti; cum 4. & in prima comparatione, & in secunda ponatur, sit, ut idem sit utriusque extremum. Hæc ergo erit Categoria proportionis.

Proprio ut sic, haec dividitur in proportionem simpliciter, seu Arithmeticam, que est proportio unius ad unum. Et in proportionem, que est proportionalitas; estq; proportio ipsius proportionum; hæc ipsa proportionalitas dividitur in continuam, & disjunctam, jam de-

No t o 1. In quonam differant & convenienter proportionalitas continua & disjuncta? Differunt: quia continua repetit numerum in ipsa prima proportione, non repetit disjuncta: convenienter tamen hæc duæ proportionalitates in his duobus, imprimis, quod non possint esse nisi inter quatuor extrema ad minimum; ut inducit, exemplaque allata ostendunt, & resolvitur in hoc Principium quia proportionalitas est proportio proportionum. Ergo jam requiritur duas proportiones; singulae autem proportiones, ex sua definitione, sunt inter duo, bis autem 2. sunt 4. Ergo, proportionalitas semper erit in 4. ad minimum, ad minimum, inquam, quia posset esse plurimum etiam conjugatio proportionum. Secundum, in quo convenienter proportionalitates, id est, quod quæcunque sunt ad invicem proportionabilia, & permutatim proportionalib[us] sunt, & quod, que est proportio unius ad alterum, eadem sit totius; ad totum, sic v. g. sicut se habet 3. ad 6. ita 6. ad 12. sed 3. deficit medietate, ad 6. Ergo & 6. deficit medietate ad 12. permutata proportione. Sicut se habet 12. ad 6. ita 6. ad 3. sed à 12. 6. superatur medio. Ergo & à 6. 3. superabitur medio. En video proportionem permutatam tenere. Ex quo etiam exemplo apparebit, eandem esse proportionem unius ad alterum, que totius ad totum. Cujus tale exemplum adducit S. Thomas. Si que est proportio 10. ad 8. eadem est proportio 5. ad 4. sequitur ulterius, quod que est proportio 10. ad 8. & 5. ad 4. eadem sit proportio 10. & 5. simul accepta, que sunt 15. ad 8. & 4. simul accepta, que sunt 12. quia hic etiam est sesqui quarta proportio.

No t o 2. In quo convenienter & differant proportio Arithmeticæ & Geometricæ? Convenienter quidem in hoc, quod utraq; spectet & qualitatē & intendat; sed longè aliam & aliter. Quia æquale Geometricum attenditur secun-

dūm proportionalitatum & qualitatem. Arithmeticum autem secundū æqualitatem quantitatis. Exemplificat id S. Thom. Quia 6. secundū Arithmeticam proportionalitatem, medium est inter 8. & 4. excedit enim ab uno & excedit in 2. sed non est proportio eadem utrob[ic]q;. Nam 6. se habet ad 4. in sesqui altera proportione. 8. autem ad 6. in se, quicertia. E contrario vero secundū Geometricam proportionalitatem, medium excedit, & excedit, secundū eandem proportionem, sed non secundū eandem quantitatem. Sic enim 6. est medium inter 9. & 4. utrob[ic]q; enim invenitur sesqui altera proportio; sed non eadem quantitas: 9. enim excedunt 6. in 3. 6. vero, 4. in 2. Hæc S. Thom. cuius loci iste videtur sensus. Sex se habet ad 4. in sesqui altera proportione; quia sex continet in se 4. & insuper super 4. duo, quod ipsum duo, est altera pars 4. sed qui ergo altera proportione à 6. superatur 4. quia superatur duobus, quod duo, est altera pars 4. Jam autem 8. est ad 6. in sesqui tertia proportione, quia 8. continet in se 6. & insuper duo, quod duo, est tercia pars ipsius sex: superat ergo octo sex, sesqui tertia proportione. Decem ad acto, est in sesqui quarta proportione: quia octo à decem superatur duobus, quod duo, est quarta pars ipsius octo. Rursus, quindecim ad duodecim, est in eadem sesqui quarta proportione: quia quindecim continet in se duodecim, & insuper tria, quod tria est quarta pars ipsius duodecim.

No t o 3. Quod videatur S. Th. agnoscere, quod detur competens proportionalitas etiam Arithmeticæ; nomineq; proportionalitatis utitur; consequenter requirens 4. minima. Cujus exemplum est; sicut se habet 6. ad 8. ita 4. ad 6. Cum hac tamen differentia: quia in illa proportionalitate, est eadem quantitas. Nam duo additum ad 6. facit 8. & duo additum ad 4. facit 6. ubiq; repetendo 2. Sed non est eadem proportio: quia in 6. habente se ad 4. est sesqui altera proportio, in 8. autem habente se ad 6. sesqui tertia. Econtra vero, ut jam dixi, in Geometrica proportione. Et ita 6. est medium inter 9. & 4. sed medium secundū proportionem: quia sicut 9. tercia parte superat 6. ita 6. tercia parte superat 4. quam appellat S. Thomas sesqui alteram proportionem: sed non est eadem quantitas: quia 9. habet ternionem supra 6. sex vero supra 4. non ternionem, sed binarium. Hanc tamen divisionem & acceptiōnem usus non habet, ne videatur confundere duas has proportiones Arithmeticam & Geometricam.

P R A E M I T T O 4. Instituam distributivam se-
cundū proportionem Geometricam: sicut enim hæc
proportio attendit ad æqualitatem, & medium
ita & justitia distributiva. Sicut hæc proportio
est inter quatuor extrema, ita & justitia distri-
butiva attendit ad duas inter se comparatas per-
sonas, earumque dignitates; & ad duas res, seu
bona dividenda unicuique, de quo sic loquitur
S. Thomas: Oportet ad rationem justitia, quod sit

* D 2 84. em

R P
TH MLOD
TOM 3. c. 4.
D. VI
G

Tractatus I.

eadem aequalitas personarum, quibus sit justitia, & rerum, in quibus sit, ut, scil. sicut se habent res ad invicem; ita & personæ, alioqui non habebunt aequalitas sibi: sed ex hoc sunt pugnae & accusationes, quasi sit justitia prætermissa: quia vel aequales non recipiunt aequalia in distributione bonorum communium: vel non aequalibus dantur aquæ, puta si in aequaliter laborantibus dantur aequalia stipendia, vel aequaliter laborantibus dantur inegalitatem. Rursum, sicut in proportione proportionalitatis quæ ad invicem proportionalia sunt, eadem permutata proportionalia sunt, ita & in praesenti. Notandum hic est textus Arist. cap. 3. citatus, qui ita habet: *Sicut igitur primus terminus sese habebit ad 2. ita 3. ad 4. igitur etiam alternata vice, sicut primus ad tertium, ita secundus ad quartum;* quare etiam *tertum ad totum, quod distributio binatim copulat, quia si etiam ita composta fuerint, ius è copulat, quasi dicat.* Duplex intervenit jugatio in distributione: prima, primi ad secundum, simulq; tertii ad quartum. Et alia, primi ad tertium, & secundi ad quartum; & tamen his omnibus positis subdit: primi igitur termini cum tertio, & secundi cum quarto, jugatio ius illud est, quod in distributione consistit: ubi cum supra posuitur jugationem primi cum secundo, & tertii cum quarto, nihilominus hic enuntiat, à distributiva attendi ad jugationem primi ad tertium, & secundi ad quartum. Cujus puto hanc esse rationem: quia nomine primi, venit v. g. una persona; & nomine secundi, altera; nomine tertii, venit munus primæ, nomine quarti venit munus secundæ personæ, quod etiam ostendit ipsum paradigma à S. Thoma Læctione 5. formatum: *Cujus proportionis attentio spectat quidem, sed non nisi antecedenter dispositivè & directivè ad justitiam distributivam, qualitatis personarum comparationem, & magnitudinem dandorum.* Sed ad hoc proximè & immediate, tanquam ad rationem suam ultimam, non attendit distributiva: illa enim, ex natura sua, est inductive dominii, habitudinisque personæ ad munus, completivaque uniuscujusque fortunæ, secundum prædirectionem factam, ut possideat suum: quam possessionem sui, habitudinemq; ad munus, quia non ostendit nisi jugatio primi cum tertio, & secundi cum quarto, sit, ut dicat, quod primi termini cum tertio & secundi cum quarto jugatio, ius illud sit, quod in distributione, consistit; consequenter, nec attendit ad jugationem primi cum quarto, nec secundi cum tertio, quia hæc jugatio esset unius v. g. dignioris personæ, non cum suo munere, sed cum munere aliis, ad quam jugationem ultimò formaliter non attendit distributiva: quia hæc jugatio non ostendit conjunctionem boni & personæ: nec infert ullam possessionem, ad quam tamen inducendam ordinatur distributiva.

PRÆMITTO 5. *Justitiam commutativam, regulariter loquendo, attendere ad proportionem singulariter loquendo, attendere ad proportionem sim-*

pliciter seu Arithmeticam, quod exprimit Arist. cap. 4. *Ius vero, quod in commerciis est, est quidem aquum quoddam, & iuria iniquum, non tamen illa constat proportione, sed Arithmeticæ, per Ly illa proportione, intelligens Geometricam, quia oppositam Arithmeticæ. Probat autem id Arist. quia cum non attendat justitia commutativa ad qualitatem personarum, perindeque personis, inquit, *utitur, ac si aequales essent, sive iuria afficiat, hic afficiatur.* Unde tam bene Princeps accipiens 10. tenetur restituere 10. ac in simili facto tenetur ad idem plebejus: hinc fit, ut non attendat ad proportionem Geometricam, hocq; ipso attendat ad proportionem Arithmeticam, quod procedit hoc sensu: quia regulariter, & ut plurimum attendat commutativa ad proportionem Arithmeticam: nam quod in aliquibus casibus attendat etiam ad Geometricam, infra dicetur. *His præmissis**

EXPLICATUR. Omne medium est æquale: si æquale, est inter plus & minus, ut dixi Præmisso primo: si autem est inter plus & minus, debet esse secundum proportionem, consequenter & medium rei, erit æquale inter plus & minus interjectum secundum proportionem, ut dixi Præmisso secundo. Quod si medium rei est inter plus & minus secundum proportionem, quod erunt proportionis modi, tot erunt & æqualitates mediæ rei. Quia autem duplex est proportio, nempe Geometrica & Arithmeticæ, ut dixi Præmisso tertio, etiam æqualitas justitialis mediumq; rei, erit illud Geometricæ proportionis, adeoque pertinens ad justitiam distributivam, ut dixi Præmisso quarto. Et aliud æquale est medium rei in proportione Arithmeticæ, spectabitq; ad justitiam commutativam.

Brevioribus autem terminis. Medium rei est æquale interjectum inter plus & minus rerum. Unde postea sequitur, quod hoc medium sit idem apud omnes; & quod non desumatur per ordinem ad operantem, sicut & ipsæ res, sunt cædem apud omnes, & non desumuntur ab operante. Medium autem rationis, erit æquale interjectum inter plus & minus, secundum præcisæ rationem, ex quo postea sequitur medium hoc, non esse idem in omnibus; cum non cædem in omnibus rationes, respicere que etiam operantem, qui pro se suas etiam fundat rationes.

DICENDUM EST. *Medium rei intendi à justitia.*

PROBatur 1. Citato textu Arist. & S. Thomæ q. 58. a. 10.

PROBatur 2. Justitia debet intendere aliquod medium, est enim virtus, & omnis virtus in mediocritate consistit. Sed non intendit medium rationis, quod probatur. Quia virtus, quæ est ad alterum, à virtutibus, quæ ad ipsum, est distincta. Ergo, & medium intentum, debet

Disputatio I.

41

bet habere distinctum. Ergo, cum aliæ virtutes intendant medium rationis, justitia debet intendere medium rei: neque enim datur tertium.

PROBATOR 3. Illud medium intendit justitia, quo solo posito, æquantur homines, non posso, non æquantur; hoc autem est medium rei.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Justitia distributiva, non attendit ad medium rei: quia expressè S. Thomas q. 61. a. 5. in corpore, inquit: *In justitia distributiva non accipitur medium secundum aequalitatem rei ad res, sed secundum proportionem ad personas.*

RESPONDETUR. S. Thomas non plus vult, quam, quod si Petri dignioris & Pauli minus digni comparentur inter se bona distributione aequalitas, non sit futura aequalitas rei ad rem, ut si accipiat justè Petrus 9, & Paulus nonnisi duo, & medium; sed non dicit, quod non sit futura aequalitas, hoc est, medium inter plus Petro dabile, & interminus, quam debeatur eidem, dabile, in quo tamen stat medium rei, in distributione, ut mox dicetur.

INSTABIS 1. In justitia distributiva attendit ad personarum dignitatem per omnes. Ergo, illa non respicit medium rei.

RESPONDETUR. In justitia distributiva attenditur ad dignitatem personarum, sed hic aetus, non spectat propriè ad justitiam, sed non nisi reductivè; in quantum justitia imperat prudentiae hunc actum in suum bonum. Cumque omnis actus virtutis indigeat regulari prudentiæ, bene hanc regulationem ponibilem in taxa dignitatis personarum, exigere poterit justitia, à prudentia. Unde, etiam per hunc actum, non distinguetur distributiva à reliquis virtutibus; posita autem taxa dignitatis personarum in distributiva, tum queritur à justitia medium inter plus & minus ex dando.

INSTABIS 2. Ergò codicil jure, quando prudentia ostendit temperaturo, ut tantum comedat, præcedens dictamen spectabit ad prudentiam, tantitas autem cibi ad temperantiam: consequenter non sola distributiva, sed etiam temperantia, attendet ad medium rei, præmonstratum ex consideratione personarum.

RESPONDETUR. Æquales sunt in hoc distributiva & temperantia, quod utrique præteret conditionem personæ prudentia: in hoc tamen erit disparitas: quia totam rationem formalis sue honestatis, desumet justitia ex ipso metu medio rei; nempe aequalitate rerum in illam ipsa sustendo, quod non repugnat virtuti & vel maximè justitiae convenit. Quod si in medio sisteret, hoc ipso medium reintenderet. Jam

autem v.g. temperantia honestatem, quam intendit, non desumet ex ipsa tantitate cibi, nec in illa sisteret, sed procedet ad consequentem macerationem & afflictionem, ejusque honestatem; consequenter, non est in temperantia medium rei, quod illa ultimè intendit. Et nisi ponatur respectus in temperantia, ad ipsummet operantem, non erit per quid transeat ad denominationem temperantis; sed nonnisi habebit denominationem hoc comedentis, & si post tantam comedionem non sequeretur maceration, verè non esset ille temperans, quod ostendit tantitatem illam, ad macerationem referri. Dato autem æquali in distributione, etiamsi, cui datur, non sit contentus, adhuc erit justa distributione; quod ipsum ostendit, ad medium rei hic attendi.

INSTABIS 3. Si ad prudentiam spectat confederatio illa personarum. Ergo, etiam spectabat & medium rei taxare.

RESPONDETUR tali instantia. Non spectat ad eum, qui attendit mensuræ publicæ, ipsius bilancis æqualitas, sed eam fabricare, investigare, & ponere, spectat primo ad artificem suo habitu artificiali, & physica naturali fultum: licet idem mensurans, necessariò præsupponat æqualitatem bilancis, illaque; præsupposita, mensurandorum æqualitatem respicit; hinc non est puniendus, si bilanx publica non sit æqualis, sed punietur, si in bilance; qualem accepit, rerum mensurandarum æqualitati non attendit. Sic & in praesenti, taxare dignitatem personarum non spectat ad justitiam; sed illa posita, mensurare, ne detur plus vel minus, spectabit, jam ad justitiam, præcisè attendendo ad plus & minus dandorum: præcipue cum taxatione illa habeat specialem honestatem difficultatem, adeoq; objicibilitatem.

OBJICITUR 2. Justitia est intentiva in æqualitas rerum: quia in justitia distributiva intendit, ut detur plus, plus merito, & minus, minus merito.

RESPONDETUR. In æqualitas, quæ interdum reperitur in justitia distributiva, est inæqualitas sed non contra jus, cum juri, cui satisfisit, semper à distributiva ponatur æquale; qualis inæqualitas reperitur etiam in commutativa, dum pro pretiosiori plus, pro minus pretioso, minus datur.

Alii autem dicunt, quod justitia ex primaria intentione æqualitatem intendat, eamque impletat, licet per sequelam, & per quoddam confessarium, pullule aliquia inæqualitas. Retineri etiam alias positi termini possent; quod justitia intendat dari interdum plus materialiter, sed non plus formaliter quam sit in hoc, jus, in alio, debitum.

OBJICITUR 3. Medium rei, semper est idem, apud omnes, & omni tempore, sed falsum est omnes commutations omni tempore, & apud

* D 3 omnes

R. P.
H. WILK
la nowski
Tome 3. e 14.
D. VI
G

omnes eodem modo se habere, ut experientia probat. Ergo, falsum est omnes commutaciones intendere medium rei. Est Argumentum Cellaja apud Raynaud. Lib. 3. sect. 1. n. 30. imò idem accidit in communi omnium commutationum instrumento, nempe nummo, qui non idem omnibus, nec omni tempore, eodem modo se habet, & tamen medium rei semper idem est, apud omnes, & omni tempore.

R E S P O N D E T U R. Casu, quo nunc majus, nunc minus pretium rerum fiat, idem semper erit medium formaliter: quia correspondens pretio, cuius taxam prudentia, secundum circumstantias ponit, licet non idem materialiter; idemque dicendum de nummo. Ex quo colliges, quod in dictis commutationibus, & nummo, variabile est, spectare ad prudentiam, vimque dominativam; quod autem justitia intendit, idem semper & apud omnes est, hoc est, commensuratio utilitatum, & æqualitas ad jus, hic & nunc habitum.

O B J I C T U R 4. Justitia vindicativa, est verè justitia, & non est eadē apud omnes, & semper. Ergo, apparet, quod non attendat ad medium rei. Antecedēns probatur. Quia nobilior pro eodem crimen non æque punitur, ac ignobilior; idemque crimen in hac natione minus, in alia magis punitur. Imò potest etiam Princeps sine injustitia condonare pœnam maiorem, imò & absolvē relaxare. Ergo, apparet non intendi à justitia æqualitatem pœnarum, aliás illarum inæqualitas, non posset esse sine injustitia: quia fieret per oppositionem ad justitiam.

R E S P O N D E T U R. Non eadem pœna est materialiter apud omnes, seu pendet à circumstantiis; eadem tamen est formaliter: quia supposita directione prudentiæ, nec excedens nunc, nec minor, sufficiensque ad h̄c & nunc puniendum delictum. Princeps etiam sine injustitia relaxat pœnas: quia habet jus altum, cui subditum est jus Bassum, exigendi pœnas, reperibile in privatis. Si autem hoc jus habet, non facit injustè prudenter illo utendo: nemo enim facit id in justè, quod facit cum jure.

O B J I C T U R 5. Sit in aliquo jus exigendi indivisibile auri, & in alio debitum; ponatur solutio, sic actus justitiæ, sine illo medio rei: illo enim indivisibile caret. Ergo, non omnis actus justitiæ respicit medium rei.

R E S P O N D E T U R. Quod medium rei non sit, accipiendo pro quanto, & divisibili materialiter; aliás, ut bene probat objectio, non posset dari justitiæ restitutio indivisibilis auri; sed accipendum est formaliter, hoc est, pro æquali ad jus alius, & quidem æquali, quod sit idem apud omnes. Jam autem ponitur tunc æquale ad jus alius, qui habet jus non nisi ad indivisibile auri. Dici etiam posset, quod etiam tunc

inveniatur medium inter plus auri & minus, saltem similitudinarium: indivisibili enim auri, similitudinariè minus est, nihil auri. Deinde, quod justitia respiciat medium rei, procedit ex suppositione, prout res sunt à parte rei; à parte rei autem, nulla sunt indivisibilia auri.

Q U A È S T I O III.

De ipsam definitione Iustitiae.

Partibus definitionis, hoc est, genere & differentia constitutis, est necesse proponere ipsammet definitionem, ut totum, constans illius partibus. Proponentur aliquot justitiæ definitiones, quæ licet in re idem sunt, modo tamen exprimendi idem, distinguuntur.

1. D E F I N I T I O est ex Ulpiano. Hanc Definitionem explicat S. Thomas, q. 58. a. 1. Ex Ulpiano in L. Justitia. Dig. de Justitia & Jure. *Iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Quod ipsum S. Thomas ad Scholasticos terminos reducit. Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit. Virtus Antonomastice dicta, supponit pro habitu, non pro actu: nemo enim ratione unius actus virtuosus dicitur; sicut nec ratione unius ablationis, rapax; nec ratione unius ingurgitationis, bibax. Cumque antonomastica denominatio, debeat esse ratione excellentioris, habitus autem sit quid excellentius, ut potè, & sc, & actus, quos principiat, inferens, fit, ut virtus Antonomastice pro habitu supponat. Unde etiam Ulpianus ponit, constantem voluntatem: & quia virtus debet esse perfectio in ordine ad actum, meminit actus Ulpianus dum meminit traditionis; cumque ipse actus debeat esse circa suum objectum & hoc exprimit, dum ponit, *Ly sus suum tribuens.*

Advertit tamen Esperza. q. 8. nomine juris non venire hic jus activum: hoc enim supponitur, & ne per injustitiam, quidem, auferri potest. Ponitur ergo, inquit ille, passivè, pro eo quod cadit sub jure potestativo ac activo.

2. D E F I N I T I O. Est Aristotelica, ex §. Eth. cap. 1. *Videmus igitur omnes ejusmodi appellare justitiam solere, ex quo ad agendas res justas homines idonei efficiuntur; ex quo item justè agunt voluntque justa; compingendoque hæc ad terminos usitatos Scholasticos, erit, habitus ad agendas res justas inclinatus.* Sed hæc definitio est potius descriptio: querere enim restat, quænam hæc sint actiones justæ? cùm queratur definitio, quasi ex suppositione, penitus ignoratæ naturæ justitiae? Bene tamen priori modo descri-

Disputatio II.

43

scribitur: quia principia notificantur per suos
actus.

Inquiri etiam hac occasione cum Esperanza ci-
tato potest: An haec definitio conveniat etiam
iustitiae supernaturali infusa? Certum quidem
Ulpianum de illa non fuisse sollicitum: quia ta-
men Theologi, ad supernaturalia attendentes,
eam approbant, videtur etiam ad supernatura-
lem iustitiam extendi. Si quis, ly perpetua con-
finique voluntas, sumat pro principio de linea
voluntatis, coque stabili ad reddendum jus a-
lienum. Vere autem iustitia infusa, est princi-
pium de linea voluntatis: quia habitus volun-
tatis est, ordinaturque ad jus reddendum uni-
cuique suum.

3. DEFINITIO est. Quæ conflatur ex ha-
bentis dictis. Iustitia est virtus intendens ho-
nestatem æqualitatis, ad jus alterius. Non pono
quod sit virtus moralis, nec quod sit ad alterum,
nec quod respiciat actiones externas: quia ratio
moralis, in ipsa æqualitate ad jus includitur, quæ
est species morum; alteritas item in prædicato
æqualitatis, cum nihil sibi sit æquale; actiones
item externæ sufficieret in æqualitate ad jus
includuntur: quia haec non habetur sine actione
externa. Bona autem est haec definitio, quia
procedit per prima, convenientque omni; soli, &
tempore.

DICES 1. Etiam in aliis virtutibus, ly hone-
stas, non ingreditur formale earundem. Ergo
nec ingreditur formale iustitiae.

RESPONDE TUR. Imprimis. Negando
Conseq. quoad alias virtutes: sunt enim ali-
quæ ita excellentes, ut nunquam vitiari possint,
nec actus illarum fieri malo fine, qualis est amor
Dei super omnia, voluntas nolendi unquam
quidquam defectuosum committere &c. simi-
lia, quia autem actus virtutis iustitiae potest fieri
malo fine, sit, ut addi illi debeat, ly honestas.
Quod ad alias virtutes attinet, nondum invale-
scere, de illorum formaliter explicando, lite, sup-
ponebatur hoc potius, quam ponebatur, cæte-
roqui moraliter ponendum.

DICES 2. Honestas non est ratio differen-
tialis iustitiae. Cur ergo ponetur?

RESPONDE TUR. Honestatem simpliciter
acceptam, non esse differentiale formalita-
tem; secus se habet honestas talis: ipsa etiam
honestas est suo modo differentialis formalitas,
ab eo actu, qui malo fine reddit alienum.

DICES 3. Honestas respicit nos, non alterum.
Ergo, non debuit poni in definitione vir-
tutis ad alterum.

RESPONDE TUR. Honestatem simpliciter
acceptam, sicut & virtutem non esse ad alte-
rum, secus se habet honestas talis h. e. hone-
stas æqualitatis.

DISPUTATIO II.

De Objecto Remoto Justitiae, quod est Jus.

PRAÆMITTO 1. Quid veniat
nomine juris? universaliter dicit
S. Thomas, q.57.a.1. in Corpore.
Quod jus dictum est, quia est ju-
stum: quia vero & ipsum Lex est
habet diversam explicabilitatem, variaeque sunt
circumstantiae ipsius justi, non raroque eadem
vox penuria primitivarum impositionum ad al-
lia & alia trahitur; idem sit etiam, cum hac voce
iustum, quæ, prater dictam acceptationem, sup-
ponit pro potestate legitima ad aliquam rem.
Et quia, ut sit iustum, erat necesse haberi aliqua
principia regulativa, ut sit iustum; sit, ut nomine
juris, veniant etiam leges, quæ cum sui species
impressas, expressasque habere possint, & solum
sic posse possint regulare, dirigereque ut fiat
iustum; sit, ut jus supponat præscientia juris,
quibus dictaminibus, si fiat satis, adeoque fiat
exolutio debiti, cumque hoc, quod debitum
est, sit jus alterius, sit, ut satisfactio illi debito, jus
etiam appelletur, ut appellavit Ulpianus, ubi
meminit juris reddendi. Ad continentiam item
societatem humanam, erat necesse institui judi-

ces, quos appellat Arist. iustitiam animatam, cum
iustitia respondeat jus, etiam iustitia animata, re-
spondere debuit jus. Porro iustitia animata,
nisi exeat in actu, mortua est quodammodo,
actus illius iustitia animata erit sententia,
quæ etiam appellatur jus, ut cum dicitur res ju-
re decreta, dicitur item aliquis ad jus vocari,
hoc est, ad sententiam judicis. Quia vero da-
tur figuris locus, continensque pro contento
usurpari solet, ex proportione quadam, locus
ipse dicendi juris pro sententia accepti, solet ap-
pellari jus: cumque quæ similia sibi sunt, simile
etiam participant nomen, sit, ut cum æqualitas,
ratioque ad strictivi ad hoc, vel illud præstan-
dum, sit quid principale in iustitia; cum consan-
guinitas & affinitas æqualitatem quandam ad-
ferant, adstringantque ad specialiora officia,
hinc est, ut etiam jus ad affinitates, & consanguini-
tates applicetur. Unde dicitur, jura con-
sanguinitatis intercedere. In præsenti maxi-
mè attendetur ad jus pro justo, & ad potesta-
tem illam ad aliquam rem.

PRAÆMITTO 2. Divisionem juris. Atten-
*D 4 demus

R. P.
THOMAS
TOM. 3. c. 4.
D. VI
6